





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
19 P
48


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
A
6
ROMA


[illegible]

Illustriss. ac Reuerendiss. Principi

SCIPIONI BVRGHESIO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO;

DE NATVRA, ET EFFECTIBVS AMORIS SENSITIVI,



Tractatus Philosophicus.

AVTHORE AVGVSTINO VLMIO

SACRÆ THEOLOGIÆ, AC I. V. D.

In quo

Iuxta veriorem Peripateticorum Philosophiam, curiosè, breuiter, ac diligenter, ea ferè omnia declarantur, & examinantur, quæ in hac materia à curiosis desiderari solent.

Cum breui, ac dilucida explicatione Amoris Platonici.

OPVS

Vt nouum, ita omni varietate, ac suauitate refertum.

CVM DVPLICI INDICE,

Altero quæstionum, & verborum, ac rerum principalium altero.

Cornelio



Franceschucci

BONONIÆ, Typis Sebastiani Bonomij. M. DC. XVII.

Superiorum Permissu.

ie martij 28 mensis [illegible] P. Nicolaus Ricc[illegible]
[illegible] dedit lic.a [illegible] Corn.o [illegible]
[illegible] habita est [illegible] Card. [illegible]






Illustriss. ac Reuerendiss. Principi,

SCIPIONI BVRGHESIO.

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,
vnico, ac Patrono suo Colendiss.

Perennem fœlicitatem præcatur,

AVGVSTINVS VLMIVS,
humilimus seruus, atque deuotissimus.



SPARTANORVM legumlator Lycurgus, qui ob sanctimoniam vitæ, & legum iustitiam, Deus potius, quam homo ab Oraculo fuit appellatus, inter alia, quę Spartanis, Illustrissime Cardinalis, & Princeps instituit, instituit etiã sacrificia quædam, oblationes, & hostias, quas modici sumptus appellabat, adhoc, vt cum tenuis esset expensa, posset quilibet suo arbitrio Dijs sacrificare, ac illos, hoc tam modico sumptu sibi propitios, ac beneuolos reddere.[a] Cuius ego consilium secutus, & auctoritate securus, Tractatum hunc meum primogenitum, de natura Amoris, exiguum quidem munus, & modici sumptus, tibi tan-

[a] Plut. in vit. illius, & Apoph theg. et alibi sæpe.

q̃ Terreno Numini offerre sũ ausus, hac modica quidẽ oblatione, sed publico tamẽ testimonio, innuere volẽs, me iampridem tuo Numini esse deuotum, eiq; me, meaq; omnia iamdiu sacrasse, ac vouisse. Nec mireris, me in signum magnæ deuotionis, exilem hostiam, & debile munus offerre, nam agimus nunc de sacrificijs modici sumptus; & si deuotio, & affectus magis, quàm res ipsa oblata, solet ipsam oblationem reddere gratiorem, quis vnquam iustè dubitabit, oblatione hanc meã tibi non fore acceptã; cũ sit hostia, & munus Amoris? Rusticus quidem, & rudis tibi fortè videbitur, & Tractatus, & modus offerendi; sed hoc animo, & voluntati dantis nocere non debet: Quis enim vnquã fructus nisi rusticos, rudes, agrestes, & abortiuos expectabit ab Vlmo? defectus est naturæ, & fortunæ, non voluntatis, & affectus: Immo fructus multos, & multa etiam munera solent Principes eò libentius aspicere, quò & sunt rudiora, & rudiori modo illis offeruntur: sic Artoxerses Persarum Rex non fuit dedignatus, immo hilari vultu accepit, rusticum tantum haustum aquæ, sibi iter faciẽti, à rustico quodam vtraq; manu, & rustica, & rusticè porrectum, sic eadẽ benignitate ab alio quodam Paupere oblatum pomum hilariter accepit,[b] sic cantus, vel potius fletus Lusciniæ in nemoribus, & Syluis educatæ suauior est, & gratior cantu, vel fletu illius, quę arte, & industria in Palatijs diuitum docetur canere: Sic tandem;[d] & in re nostra, quibus olim thus, vel myrrha non erat, lac solum, vel molam, solo farre, ac sale confectam, Dijs suis offerre licebat.

[b] Plut. in Apophtheg. in princip.

[d] Plutarc. de Solert. Anim.

Sed quales quales sint fructus, quos nunc tibi producit Vlmus, tales saltem erunt, vt te Atlantico pódere Alcidem

non

non dico lassum, sed ex industria leuatum, vt fortior resurgas, aliqua ex parte delectare possint. Patruus .n. tuus Sanctissimus Paulus V. (verè quidē & ꝓpriè Patruus, nā Græcorum sermone Patruus dicitur quasi diuinus, & cum inter mortales nullus sit eo diuinior, nullus etiam verius tibi Patruus dici valet) qui nō fabulosus Atlas solum Cęlū humeris regit, sed veri Dei, verus Vicarius, ac Deus mortalis in terris, virtute solū vnius clauiculę, si claudit, nemo aperit, si aperit, nemo claudit, & Cœlum, & Terrā, & Infernū adeo suo arbitrio regit, ac moderatur, vt quodcunq; vel ligauerit, vel soluerit super Terram, sit etiam vel ligatum, vel solutum in Cęlis: Vnde & Aquila sua vbique volat, & Draco ille suus, inter alia Animalia solus, & currit, & natat, & volat, tibi tāquam alteri Alcidi partem operis iure merito diuisit, ac communicauit. Vbi, & continua multitudine, & pondere negociorum grauatus, ne penitus obruaris, soles, prout decet, aliquantisper respirare, ac illis, non certè tibi, cedere, ac vacare. Tu enim nec etiam in iustissimo otio potes esse otiosus, ad instar alterius illius magni Scipionis, qui dum sibi à regendis Imperijs, & à cura reipublicæ feriari concedebatur, dicere solebat, non minus se esse otiosum, quam dum esset in otio, quia totum illud otium in litterarum studijs grauiter consumebat: [b] Tu quoque omni scientiarum genere felicissime ornatus, per campos philosophiæ, & humaniorum litterarum amœnissimos hortos tanto studio, ac assiduitate spatiaris, vt non minora negotia priuatim in otio, quam publicè in publicis occupationibus gerere videaris, optimè sciens ex Plutarcho [a] hominem indoctum esse æquiuocè hominem, naturaliter seruum, plusquam specie dif-

[a] Plut. 3 vit. illu:s, & in Apophteg. [a] de Isid. & Osiri in princ. 7 lib. an rectè dictū sit latert. esse viuend. & in lib. Bruta Animaratione vti.

differre ab homine docto, ac magis, quam vna bestia ab alia; otium sine litteris esse viui hominis sepulturam, vitam sine doctrina, viuam mortis imaginem, ac scientiam esse maius illud bonum, quod vel possit homini Deus elargiri, vel à Deo ipse homo accipere, appetitumque scientiæ esse appetitum diuinitatis, ac Deum ipsum non Argento, & Auro, neque Tonitruo, aut Fulmine sibi vim, ac potentiam parasse, sed scientia, ac prudentia istas laudes fuisse consequutum, æternæq; vitæ, quam ipse occupauit Beatitatem, in eo consistere, quod cognitiones vi præterita non dimittat, ac plura cognoscat; alioquin cognitione, ac intelligentia rerũ sublatis, immortalitatem non esse vitam, sed tempus, & in summa, vt ait Aristoteles,[a] nihil est aliud scientia præstantius, nisi solus Deus, ac non propter aliud diu viuere volumus, nisi ob iuge cognoscendi desiderium; propterea eò ét te magis delectare poterunt, quia si, vt idem inquit Plutarchus,[b] maximè cum Principibus Viris Viro philosopho est disputandum, nullam nec maiorem, nec iucundiorem philosophiam tibi offerre valui, quàm Philosophiam Amoris, quia Amor, vt inquit Plato,[d] magnus est & Philosophus, & Sophista, talisq; ac tantus, vt alios quoq; possit efficere philosophos: igitur quando in otio, ne omnino sis otiosus, voles ad suauiores Musas conuersus suauis negotiari, tunc pro tua benignitate poteris ad hosce fructus meos oculos, & manus applicare, & casu, bonaq; fortuna forsan eueniet, vt inter oculos, & manus tuas penè cœlestes suauiores fiant; Nam sicut Vrsa informes, artubusq; carentes catulos sola lingua ita format & fingit, vt fabricari potius, quam parere catulos rectius dici posse videatur.[g] & Struthio, qui fetus suos, &

a 7. Eudem. c. 15. & 18.

b In li. maximè cũ princ. philosoph.

d In Cõuiu. in orat. Socrat.

g Plut. en lib. de Amor. plis.

oua

oua ſolo viſu, & oculis fouet, & nutrit, [a] ita etiã & tu ſaluberrimo aere tui fœcundiſſimi Cęli, ſi hoſce fructus legere, & à longè ſaltem reſpicere non dedigneris, ita vtiles fortè, & ſalubres facies, vt fortè eueniat, quod & legendo illos melius reformes, & videndo foueas, donec tandem ita vtiles fiant, vt & aliquos tu ipſe carpere poſſis, & aliquos etiam fortè donare. Quod ſi etiam tandem otiari velles in otio, poteris nihilominus ad illos reſpicere, quia iſti ſunt fructus Amoris, & ipſe Amor, ex ſententia Diogenis, [b] nil aliud eſt, quam otioſorum negotium.

a Ioui. in libr. de Inſtit.

b Laer. in vit. illius.

Intempeſtiuè, & properanter tibi certè videbuntur editi: ſed ſcias iſtos eſſe fructus Amoris, & quod ſicut ipſe Amor, nec diù celari, nec diù moram pati poteſt, ita nec etiã eos diutius celari, & morari paſſus eſt, & quamuis ex ſententia Horatij, [d] vtilius ſit, ſi editio vſque nonum præmatur in annum, hoc tamen potius eſt verum de magnis operibus; in quibus tamen etiam illa tam exacta, & nimia diligentia ſolet eſſe damnabilis, & negligentiæ comparari, vt eleganter propterea in re mea dixerit in quadam epiſtola Plinius, [g] deſine, ſtudia infinita iſta cunctatione fraudare, quæ dum modum excedit, verendum eſt, ne inertiæ, & deſidiæ, vel ẽt timiditatis nomen accipiat; ſic damnatus fuit Protogenes Pictor egregius ab Apelle, quod ſibi nũquam ſatisfaceret, nimia diligentia peccaret, itaut nunquam manum tolleret ex Tabula; [h] & Iſocrates, qui duodecim annos integros, abſq; vlla ad vllos alios actus extraneos diuerſione, conſumpſit in ſcribẽda oratione panegyrica, [m] vt iſti propterea tardius, quam Elephanti, parere dicantur, ac ſaturno pigriores ſuum opus perficere.

d In Poetica.

g Li. 2. epiſt. 10.

h Manutiꝰ in Apoph thegm.

m Plut. in lib. de glo. Athen.

Solum

Solum timeo regium quidem illum, ſed tamen rerum rigorem *Aquilæ* tuæ coronatæ, quam pro Inſigni geris, ne iudicãs hoſce fructus meos indignos tua magnitudine, tanquã illos, qui non valeant ſuſtinere lucem, radios, ac ſplendorem purpuratæ tuæ Maieſtatis, illos vngue rapaci, ſi nõ, vt adulterinos, & ſpurios, ſaltem vt abortiuos deijciat, diſcerpet, interimat: & Draconis etiam feritatem, qui ſicut halitu ſuo igneo, ac virulento, non ſolum aues, minutioraque animalia, verum etiam arbuſta, frutices, flores, & frondes inficit & necat,[a] ita etiam eodem flatũ debiles, ac minutos hoſce fructus meos inficiat, ac exuret. Sed memento non minus regiam Maieſtatem decere, prout dicebat Artoxerſes,[b] parua & humilia benignè accipere quàm magna elargiri, munuſq; ipſum non tantum vſu rei, quantum animo, quo datur eſſe metiendum; & quod ſi tibi æquale munus non valeam offerre, non meam imbecillitatem, ſed tuam magnitudinem eſſe culpandam, quæ ſuo nimio exceſſu ſuperat etiam omnem mearum virium voluntatem, & ſibi ſola æqualis, tibi etiam ſola æqualia poteſt offerre munera; Vnde ſi tibi ſolum æqualia cupis, & minora recuſas, tu etiã vt tibi ſolus dones, à nemineque recipias, neceſſe erit: ſicut, quod ſi ſol à Noctua non plenè videatur, ſoli magis, quam Noctuę cauſa eſt referẽda, qui ſua nimia claritate ſe ipſum reddit penè inuiſibilem nam alias res videt, ſolem videre non poteſt.

[a] D. Auguſtin. Pſ. 148 vol. 8. & D. Bern. ſ Pſal. qui habitat Serm. 13. & 14. volumi. 1.

[b] Plut. in Apophthegm.

Sed Aquila illa tua regia, quę Alarum vmbra fouet, & tegit Draconem, non nutriet ſeruum, non fouebit deuotum? Narrant enim iſti rigoroſiſſimi rerum naturalium inueſtigatores,[d] inter Draconem, & Aquilam tale, ac tantũ continuo

[d] Plut. lib. de inuid. et odio.

tinuo excandescere odium, vt nec etiam post mortẽ eorum sanguis, etiam si misceatur, commisceri possit, sed statim vterq; eorum separatur, ac seorsum fluat: in Insigni tamen tuo omnino quidem augusto (Nam & etiam Augustus solitus fuit, Draconem, & Aquilam superuolantem, admirabili pictura Populo spectandum proponere;[a]) adeò se mutuo compatiuntur, ac conuersantur, vt supra naturam, contra naturam, discordem quodammodo concordiam, ac inimicam amicitiam ineant, ac paciscantur, Cur Aquila sub vmbra saltem Alarum, non dico sub Maiestate Coronæ, non compatiatur rusticos hosce fructus meos, me Seruum, me Deuotum, si compatitur Draconem, si Serpentem, si Inimicum? Immo ego, & benignitate, & Viribus Amoris cõfisus, audacter sperare non dubito, & rigorem Aquilæ, & feritatem Draconis hoc meo Amore mitiorem reddi facilè posse, quia si Amore omnia domantur, itaut & superi, & Inferi Amori parere cogantur, Draco etiam, & Aquila, ille facibus, & sagittis, & ista laqueis, & visco Amoris ita facilè, & tenaciter capientur, vt tractatus hic meus ad te securior accedere non vereatur: nec enim est nouum, etiam Dracones hoc amore feriri, ac mitescere, cũ vt narrat Plutarch.[b] Ætolicam fœminam, etiam vsque ad lasciuiã adeo adamauerit Draco, vt noctu semper tanquam lasciuus, ac furtiuus Amãs cum ea cubaret, absque vlla offensione tractaret, sub Auroram vero semper placide, ac veluti furtiuus abiret: quam cùm olim eius Cognati longius remouissent, repertã tandem non pro more placidus, sed aliquanto asperior factus, manibus illius corpori proprijs voluminibus alligatis, extrema cauda leniter flagellauit, suauem quandã, ac amatoriã irã ostendens, quæ plus indulgẽtiæ haberet, quã pœnæ.

[a] Plin. hist. natu. lib. 35. & 4 in fin.

[b] de solert. Animal.

Præterea, si Deus humilia quæq; libenter respicit, & pro modulo nostrarum facultatum, vt inquit Aristoteles,[a] nostra sacrificia æstimat, vt ei propterea iure optimo Licurgus modica statuerit sacrificia, quanto magis Princeps, etiam parua benignè debet accipere, cum sit vera Dei imago, ac simulacrum illius? Nam sicut Deus in Cœlo, tanquam sui specimen, & documentum constituit solem: ita etiam in Terra elegantissimam sui Imaginem, & exemplum representare voluit in Principe,[b] in quibus tanquã in duobus speculis æterno vno, & altero mortali, posset à Mortalibus facilius cognosci. Princeps autem, vt efficiatur vera Dei imago, ac Deo similis reddatur, non eget, inquit Plutarch. opera Phidiæ, Praxitelis, aut Polycleti, vel Dyronis,[d] sed sola opera propriæ virtutis, iustitiæ, ac humanitatis, se Deo quã simillimũ facit opus, iucũdissimum, atque carissimum. Tribus enim præsertim reb? Deus præcellere videtur,[f] Immortalitate, potentia, ac virtute. Immortalitatem, & potentiam multa quoque alia consequuntur ex multorum opinione, Elementa, Cęlum, Mundus, Terremotus, Fulgura, Aquarũ, Ventorũque Procellæ: sed virtutem solam solus Deus sibi peculiarẽ vendicat: Igitur qui vere Deo assimilari cupit, p̃ virtutem solam assimilari potest, vt propterea non immeritò dixerit Seneca,[m] Principes sola pietate, & Iustitia fieri Deos: Nam qui volunt euadere similes Deo, per Sceptrum, per Vires, & potentiam, fulminantur; qui vero virtutem illius sedulo æmulantur, honestateque, ac humanitate illum verè representare conantur, eorum studio delectatus Deus, eos auget, illisq; bona sua libenter impertitur.[g] Vnde (si verũ dicit Seneca)[h] nemo vir bonus sine Deo, eadẽque res facit hominem felicem, quæ facit Deum, scilicet virtus: solum æta-

a Eud. cap. 13

b Plut. ad Prĩcip. in erudit.

d Et ĩbĩ in Actib. Apostol. c. 17.

f Plut. in vit. Aristi.

m De morte Claud. Cæsar.

g Plutarc. ad Princ.

h Epi. 41. 54. 74. 88. et in li de prui. cap. 1.

ſe differunt,quia Deus diutius eſt fęlix; ſed virtute ſunt pares, immo eſt etiam ipſo Deo fęlicior;quia ſi Deus nō peccat,hoc ei accidit beneſitio Naturæ,quia non poteſt; At vir bonus non peccat,quia non vult,meritoq; voluntatis Naturæ fortunam tranſcendens,habet in mole tam fragili hominis imbecillitatem,& ſecuritatem Dei. Igitur cum tu inter maiores orbis Terræ Principes tuo quodam iure adſcribi merueris,eo etiam veraciorem per tuas virtutes nobis Dei Imaginem repręſentas,quo maior es cęteris,ac prę cæteris diuinitati proximior; ex quo ego infero,te Deo eſſe chariſſimum,tibiq;eum ſicut in Terris,ita etiam in Cœlo, iam tuis virtutibus æquale præmium pręparaſſe.

Nam ſi magnus ille alius Scipio, cui res geſtæ præclarū cognomentum dederunt, & qui neq. viuere ſe poſſe dicebat,Roma euerſa,neque ſe incolumi, Romam cadere poſſe: vnde & propterea magnus ille Metellus dicebat, ſe gratias agere Dijs,quod non alibi,quam Romæ extitiſſet. Scipio [a] vidit in ſomnis,omnibus,qui Patriā,qui rempublicā auxiſſent,iuuaſſent,ac ſeruaſſent,certum eſſe in Cœlo, ac definitum locum,vbi huiuſmodi Rectores,& Conſeruatores (è Cęlo quidem profecti,& illuc reuerſi) Beati,æuo ſempiterno fruātur, ò qualem,ò quantam tibi ſedem, nō iam in ſomnis,ſed vigilanti ſperare licet; & ego iam certiſſimo vaticinio prænuncio,qui obſeruantia Religionis, integritate Iuſtitiæ,liberalitate in pauperes,magnanimitate in potētes,humanitate tua innata,& benignitate in omnes, res omnes,&Chriſtianam Rempublicam adeò fœliciſſimè regis, ac gubernas,vt tanquam Parens potius,quam Princeps ſuauiſſimè regere,ac moderari videaris; Tu aliorum ſomnos, tua vigilantia foues,aliorum otium,tuo labore, delitias, tua

[a] Plutarc. in Apopht.

[b] Cic. et Macro. ſomn. Scipio.

industria; Tu alijs magis times, quam tibi, quia sicut Tyrannus subditos, ita bonus Princepi subditis timeat, necesse est;[a] Tu Tyrannicam illorum sententiam abhorres, oderint, dū metu ăt,[b] sed magis Cleobulo adhæres, Ciuitatem tunc esse optimam, cum Princeps, plures sui Amātes, quam metuentes habeat; Nam ad res Imperij tuendas, ac conseruandas, nihil est aptius quam diligi, nihil alienius quam timeri: quē quisque metuit, eum odit, & quem odit, perijsse cupit: multorum odijs nullas opes posse obsistere, multorum Tyrannorum cœdes docuit: nullaq; Imperij vis est tāta, quæ premente metu possit esse diuturna; ac sicut perpetuitatis mālus custos est metus, ita è contrario fida Parens est beneuolentia: & in summa, vt ait Aristoteles, amari est, quam honorari præstantius, ac Imperanti, amari potius, quam amare magis conuenit,[d] Tu etiam illam improbas, quod nō potest, vult posse, qui nimium potest,[f] ac quod si ius violandū, regnandi causa violandum, eo quia Tyrannis Deorū quædam vita inesse videatur, quibus ad diuinitatem nihil præter immortalitatem ipsi deesse putant,[g] sed magis ex Chilonis placito, cum sis potens, esto etiā placidus, vt Propinqui te magis vereantur, quā metuant; Nam multos ille metuat necesse est, quam metuunt multi,[g] ac magnū imminet periculū, nè si cui liceat facere, quod velit, is velit, quod non debet, & multoties, quod nec etiam vnquam postea voluisset.[l] Vnde & non immeritò, meo quidem iudicio, interrogatus Ochus ille Persarum Rex iam decrepitus à filio, qua nam industria, & arte, iam per tot annos, ac fœliciter Regnum seruasset, respondit, pietate in Deos, & iustitia in homines,[m] quia in summa maius Imperio est, submittere legibus Principatum: & sic tantæ factus es comitatis, ac benignitatis, in

a Plutar. ad Pricip. i. erudit.
b Sene. de clē. lib. pri. cap. 12
d Nicom. c. 8. et 7. Eudē. cap. 5.
f Senec. Hipol. a. 3. p. Scen. 2.
g Stobe' serm. 45. p. p. ex Euripid.
h Sene. lib. 2. de ira capit. 11.
l Plutarc. ad Princip. in Erud.
m Athenæus libro 12. n. 272.

hoc etiã ſicut in multis alijs Aphricanum excedens, qui ſi prius, è foro non diſcedebat, quam aliquem compellantiũ ſibi familiarem, & amicum feciſſet; [a] Tu non modo aliquẽ, ſed omnes, nec familiares ſolum, & Amicos, ſed ſeruos, ſed promptos, ſed deuotiſſimos, obſtrictiſſimoſq; vi quadam ſuauiſſima, ac violenta ſuauitate facis: homo .n. nõ eſt ſine humanitate homo: & quid magis humanitati conſentaneũ, quam diligere hominem, prodeſſe homini? Nocere homini, repugnat Naturæ; ergo prodeſſe homini, Naturæ, ac humanitati eſt maximè conforme; quod qui non facit, is etiã ſe hominis appellatione diſpoliat, vt ei nihil amplius, quod ad humanitatem poſſit referri, pœnitus ſuperſit. Tu Tua virtute ſuperaſti fortunam, & benignitate inuidiam, tua virtute, & fortuna omnes tibi obediunt, & deuotione ſua, & affectu omnes tibi maiora cupiunt, deſiderant, exorant; & ſicut olim, cum Deus Romæ fundamenta iaceret, virtutẽ, & fortunam in auxilium ſibi aduocaſſe dicitur, [b] ita & tu, comite quidem fortuna, ſed tamen tua virtute Duce, ſtatum tuæ fœlicitatis ita fundaſti, vt Temporis inuidiam ſimul, & liuorem inuidiæ, iam ſolus, ac tutus ſuperaueris; ac ſicut Romulum virtus ſola magnum feciſſe dicitur, fortuna verò euuſq; ſolum cuſtodiuiſſe, vſq; dũ magnus fieret, [d] ita & Natura Te per virtutem ſolam magnum fecit, fortuna verò euuſq; ſolum cuſtodiuit, vſq; dum præmia virtutis acciperes: neq; .n. omnium, vt inquit Ariſt. [f] quorum exiſtimatur cauſa, eſt fortuna: ſed tamen ſola virtute poſtea factum eſt, & vt fortunã tẽperare, & ea rectè vti, ſcire, ac dignus eſſe valeres, vt propterea virtuti legitimus, ac naturalis filius, fortunæ verò ſolũ veluti in adoptionẽ datus, ac ſolum adoptiuus iure meritò dici poſſis: vt prorſus fatua fuerit

a Plutarc. in vit. illius, et in Apophthe.

b Plutarc. de fortun. Rom.

d ibid. Plutarch. de fortun. Rom.

f 7. Eudem. c. 17. in fin.

rit fatui Claudij Cæsaris sententia, aut fatuum, aut Regem nasci oportere,[a] sed bonam oportet nactũ esse indolem, eãq; postea propria virtute, ita regere, ac moderari, vt quisque exemplo tui fabricasse potius, quam adinuenisse sortem dici mereatur: Vndè & propterea melius, meo quidem iudicio, dixit Antisthenes, aut mentem, aut laqueum esse parandum,[b] innuere volens, sine prudentia, & mẽte nihil prodesse fortunam: aufer[c] enim vt inquit Plutar. à fortunato virtutem, & infortunatissimum cernes.

In beneficijs postea es liberalissimus, es prodigus, nec te vnquam fatigauit liberalitas; spem superas, vota præcurris, & tibi præstare, quam alijs est optare velocius; optimè sciẽs; Viri liberalis, & magnanimi, vt inquit Arist.[d] proprium esse, magis alios beneficijs afficere, quam affici, & Virũ probum indigere ijs, qui beneficio afficiantur, aliàs qui beneficium confert, vt beneficium recipiat, iam Gratias existentes Virgines, Meretrices efficit, prout omnes non solũ Amici, sed etiam illi, qui se tibi gratis inimicos faciunt, a beneficiorumq; memoria deficiunt, testari coguntur, vt tibi propterea, sicut de tuo Aphricano cecinit Ennius,[e] nullus neq; hostis, neq; ciuis operæ pretium reddere queat, cum tu beneficus in omnes, quod ab eis nunquam accepisses, pro tua magnanimitate contuleris: quos etsi frangere posses viribus, flectere tamen potius contendis ingenio, meritis, ac virtute, eorumque duritiam, ac malignitatem Burghesia humanitate mollire.

Amplius illa tua liberalitate, quæ, vt inquit Seneca, Dijs[f] proximum locum præbet, & quæ ex sententia Lactantij[g] sola Deos illos antiquos fecit, vel, vt alijs magis placet, Deos illos timor primus fecit, Amor auxit, & beneficentia com-

a Sene. l. mort. Claud. Cæsar.

b Plut. in li. de Stoicorum repugn.

c De virt. et fortun. Alexa. orat. 2.

d 9. Nicom. c. 9. & li. 4. ca. 1. & 3.

e refert Senec. epistol. 109. in fi. li. 19.

f lib. 1. de clé. c. 19.

g De falsa relig. li. 1. c. 15. & 18.

men-

mendauit,& magnanimitate,adeò omnes viros doctos prò tegis, ac foues,sententiæ Plutar.non ignarus,diuites, & Reges,dum Sapientes honorant,se ipsos magis, quam illos honorare,[a] vt sicut non solum tempore Alexandri,sed magis propter Alexandrũ,multa præclara ingenia extiterint, vt propterea Archestrato Poetæ,eleganti quidẽ,sed qui in paupertate inglorius viueret,dixerit quidã, si Tu Alexandri ætate vixisses,is tibi pro quolibet versu Cyprũ, aut Phœniciã dedisset,[b] ita etiã & meritò gloriari vales,quod non solũ tua ętate,sed magis propter te ipsum gloriosa ingenia existant, quæ tua liberalitate foues,magnanimitate subleuas,extollis, erigis,impurpuras,& Iure quidẽ optimo, Nã Tu solus vota potes saturare multorũ,imò,& multorũ etiã excedere,ac superare.Quod omnes desiderãt,multis præstitisti, & multis, quod nec etiã vnquam sperassent,liberalissimè cõcessisti; vt non amplius vera sit illa sententia,sint Marones,nõ deerunt Męcenates,sed verissima illa,sint Męcenates, nõ deerunt Flacce Marones, quia tu tanquã Mœcenas necessario efficis tua liberalitate Marones,vt enim frugum copiam,inquit Plut.[c] bona Temperies,ac tenuitas aeris gignit,ita Artium,ac bonorum ingeniorum incrementa benignitas,honor,ac humanitas Regis efficit, nam sine istis omnium fere tota lãguescit industria,[d] & quidẽ nõ sine ratione:Nã ad virtutes Cardinales reducũtur liberalitas,& magnificẽtia;[e] Igitur,& cui magis conueniũt,quã Cardinali?Et cui propterea magis quã tibi,quã Scipioni,quã Nepoti Põtificis viuorum,atq; mortuorũ Regis,Pauli V.?qui ad instar alterius illius Magni Camilli verè alter Romæ Conditor dici valet, cũ denuò condiderit,& mores,& Vrbẽ: illius inquã Vrbis, quæ caput est Orbis,Mundi Compendiũ, omniũ Nationũ

[a] De sept. conuiu. galib.

[b] Plutar. de virtut. et fort. Alex. orat. 2.

[c] idem ibidem inprin.

[d] Mados. in lib. de grat. c. 106.

[e] Lessii de iust. & iure libro 2. ca. 47. dub. 8. nu. 51.

Patria

Patria, intra se omnes alias Ciuitates cóplectens; Vrbs verè cœlestis Ciuitas Sácta Christianę Religionis tam ipse, quá ipsa, imò si ipsa, solú per ipsum, vera basis, ac fundamentú; qua incolumi, vt inquit Lactantius, Mundus finiri non potest, & cuius ruina signú erit iá finé adesse Mūdi; itaut salus Vrbis, sit salus Orbis, ruina Vrbis, ruina Orbis; igitur salus Mundi pendet à salute illius Romæ, cuius Patruus tuus est Parens, & Nutrix, cuius tu es Ciuis, & Nepos, ergo ad te pręsertim spectat alienæ salutis esse sollicitum, alienæ egestatis adiutorem, ac subleuationis alienæ Tutorem prouidum, ac perpetuum Curatorem, Animoque sicut Imperio magnú; vt sceptro animus respondeat, scientias, quæ ad animú pertinent, ac sceptro solent impetrare, augere, ac subleuare; Magnam namque fortunam, vt inquit Seneca,[b] Magnus quoque animus decet.

[a] De diuino præm. ca. 25.


[b] Eod. lib. de clemēt. cap. 5.

Lætetur igitur Rom. Respubl. quod non alibi, quam Romæ extiteris: gloriemur & nos, quod non alia, quam nostra ætate florueris, sciantque omnes, quod si non potuisset cadere Roma, Scipione Aphricano superstite, nec etiam sit vnquam casura Christiana Respublica, humanitas, ac benignitas, superstite Scipione Burghesio.

Vale, Deus te prò publico bono diù incolumem seruet, meque, hosceque fructus meos, rudes quidem, & agrestes, sed tamen è tua planta decerptos, tanquam tuos hilari fronte accipias, maturiores in posterum fortè accepturus, si tuæ lucis radius, ac Cœli benignus aspectus, non deficiat.

AMAN-

AMANTI LECTORI SALVTEM.





I quaras, Amantissime Lector, cur de Amore scripserim, dicam solum me hoc fecisse, vt primo tibi, deinde etiam mihi ipsi satisfacerem: Tibi quidem in hoc, vt cum sentires Amorem, scires etiam quis, qualis, & quantus esset Amor; postque ipsum vulnus etiam feritorem agnosceres, nam multis solatio fuit, agnouisse vulnerantem; Sique solum amareris, nec amares, mente saltem, si non sensu Amorem percipere posses, Amantisque miseri affectum, si non pœnam comprehendere. Secundo, quia Amor etiam & ipse connumeratur inter alias Animæ perturbationes, & cum nulla sit Natura adeò frigida, ac barbara, quæ illius igne, ac facibus non calescat, ac mitescat, operæ pretium me tibi facturum putaui, si hunc vehementissimum, communissimumque totius Naturæ affectũ tibi, quo quo tamen modo, detegerem, ac explicarem: non enim omnia irascuntur, omnia oderunt, & omnia ambiunt, sed omnia tamen amant, & omnia cedunt Amori. Et de cæteris omnibus affectibus multi & eleganter, & copiosè tractauere, de Amore pauci: & ex istis, alij aut nescientes, aut nolentes de eo honestè loqui, omnia ad obscænitatem, & turpitudinem referentes, pudicas aures pudici Lectoris sæpè sæpius offendunt: Alij leuius, & recreationis solum causa inter Mulieres, & Equites, vel in conuiuijs, vel in deambulationibus, Dialogos fingentes, proque audientium captu faciliores solum quæstiones colligentes, vel leuiter, vel non exactè de Amore tractarunt.

Curaui autem ipse, ac si inter Philosophos agerem, ipsum Amorem magis ad viuum excutere, vt tu eum non amplius ex fabulis Poetarum, vel ex suspirijs, & querelis Amantium, sed ex ipsomet Philosophorum splendore, intimioribusque Philosophiæ Peripateticorum visceribus agnosceres: turpe namque est, ignorare ius, in quo versamur, & cum omnes, vel ament, vel saltem amarint, multi tamen ignorant Amorem. Nec illi (si qui tamen reperiuntur, quod ignoro) qui de Amore physicè, & exactè tractassent, ab incæpto me retardassent, nam, vt inquit Seneca,[a] *omnibus patet veritas, nondum est occupata, & ex illa etiam futuris multum est relictum, nec vnquam* [a] Ep. 3 libro 4.

quam

epist.45. *quam aliquid inueniretur, si contenti essemus inuentis, Prioresque*
libro 6. *non solum inuenta, sed etiam quarenda reliquerunt, nec vlli etiam*
epist.65. *post mille sæcula nato præcludetur occasio aliquid inueniendi; nam*
lib.8. & epist.80. *crescit in dies opus, & inuenturis inuenta non nocent, cumque pu-*
libro 11. *blici iuris sit veritas, ab vllo vsucapi non potest: & vnusquisque ta-*
men suas dotes consequi poterit; nam alius erit affabilior, alius expe
b Epist. *ditior, alius promptior, alius facundior; vnde etiam Iustinianus,*
ad Tribon. *b qui factum subtiliter emendat, laudabilior est eo, qui primus inue-*
de concept. *nit; in summa vna, & eadem res potest a diuersis non solum diuerso,*
Digest. *sed etiam eodem modo tractari, quare nec etiam obstitissent, qui de*
Amore exactè tractassent, quominus ipse quoque tibi aliquo modo
prodessem.

Secundo, vt mihi etiam ipsi satisfacerem, hæc de Amore scribere
constitui: Nam cum maiorum vestigia sequutus (Primi enim Or-
bis fugam sequuntur etiam inferiores Orbes, & à boue maiore, vt di-
citur, discit arare minor) Romam venissem, vt exercitio, ac vsui le-
galis disciplinæ, tanquam principali studio, incumberem, obque ma-
lignitatem fortunæ, ea agere non possem, quæ vellem, faciens, vt vul-
go dicitur, de necessitate virtutem, ea velle cœpi, quæ possem, & age-
re, quæ valerem: Infirmata quidem est, vt cum Regio Propheta lo-
d Psal. 30. *quar, d in paupertate virtus mea, sed tamen virtus etiam conculcata*
resurgit, & calamitas multis, virtutis occasio fuit. e Igitur cum à
e Seneca epist.95. *principali proposito otiari cogerer, sciens otium sine litteris esse viui*
li.14.& *hominis sepulturam, f & Amorem nil aliud esse, quam otiosorum*
in lib. de *negotium, g ab aliarum rerum otio cum ipso Amore negotiari cœpi:*
diuin.prouid. c.4. *Nolebam enim extra propria studia vagari, sciens ex eodem Sene-*
ca, h quod magna pars vitæ elabitur malè Agentibus, maxima nihil
f Seneca epist.83. *Agentibus, & tota aliud Agentibus, sicut etiam ille alter vitæ Magi-*
lib.11. *ster Cato, satius est otiosum esse, quam nihil agere, i idest aliud a pro-*
g dicebat Diogen. *fessione agere, itaut qui aliud a studijs gerit, nihil agere dicatur; Iam*
Cyn. *pridem enim in hac re multa collegeram, quæ vel ex consessu studioso-*
h Epi.1. lib.1. *rum discurrendo, & disputando, vel ipse legendo, & meditando po-*
tueram, namque animo semper propensus fui in litteras humanio-
i Refert *res, & Professores earum. Itaque cum animaduertissem multa de*
in præf. *Amore in circulis etiam grauissimorum Virorum eleganter, & cu-*
ante epi. Senecæ. *riosè moueri, quæ non resoluerentur, statui ego, ea, quæ studio, & la-*
bore conceperam, edere, vt bonarum litterarum studiosis, non solum
præsentibus, sed etiã futuris (nã qui suæ tantum ætatis Populum spe-
m Senec. *ctat, paucis natus dicitur) m si non opem, saltem obsequium, & occa-*
cit. epist. *sionem maiora aggrediendi præstarem; In hoc enim gaudeo discere,*
80.li.11 *vt doceam, & si cum hac exceptione detur humana sapientia, vt mihi*
tantum

tantum vni stiam, ac illam inclusam teneam, reijcio; nullius enim boni sine socio iucunda possessio est. n — n Senec. li.1.ep.6

Multa praeterea etiam in Philosophia Platonis animaduerterã, quae magnas paterentur difficultates, studioque indigerent non mediocri: Cumque maiorem partem suae Philosophiae in castissimo suo illo Amore fundauerit, de illius etiam Amore separatum tractatum in calce huius operis collocaui, vt eius occasione has tibi Platonicas difficultates & ostenderem, & etiam enodarem. Ridere enim ego soleo illos, qui Aristotelis philosophiae solum dediti, Platonem vel spernunt, vel non curant, nam & ipsemet etiam Aristoteles Platonẽ semper magnifacit, nisi dum euidenti sibi ratione ab eo recedere cogitur: Sunt enim isti duo Plato, & Aristoteles humanae sapientiae Cardines, & Poli, in quibus, & super quibus voluitur, regitur, ac seruatur tota hominum scientia. Et si quaereres a me, cur Deus his solis tantam scientiam, ingeniumque adeo ferax, & perspicuum temporibus, & aetate Principum, ac Regum adeo liberalium, & scientiae deditorũ tribuerit, vt nemo post eos ad eos accedere potuerit, vel possit, in rerum tamen diuinarum cognitione eos caecutire passus sit, responderem, hoc illum ideo fecisse, vt ostenderet, in humanae sapientiae Pelago in his duobus columnas Herculis esse locatas, nec plus vltra homines etiam magnorum Principum benignitate, ac auxilio fultos progredi valere, diuinorũq; notitiam etiam perspicacissimos adipisci non posse, nisi diuino fidei lumine, reuelationeque diuina illustratos, ac eruditos. Qui ergo vni tantum est addictus, & alterum contemnit, quantum in se est, frangit alterum humanae sapientiae Cardinem, ac Polum, alteramque partem scientiae hominum ruere facit, ac cogit. Ambobus igitur studere debemus, ac cum ambobus conuersari, nam adeò praeclari spiritus, ac saluberrimi fontes ex Academia in Liceum, & ex Liceo in Academiam profluunt, ac emanant, vt alternis vicibus eorum aquis irrigata philosophia mirabilissimos & flores, & fructus in mentibus hominum producat, ac gignat; Vt igitur tibi pro viribus, & quantum in me esset, prodessem, nonnulla etiam ex Academia tibi offerre volui.

An partus sit iste, vel abortus, tu ipse dicas; quisquis tamen sit, meus est, in tui gratiam editus. solum memineris rogo, vt sicut ex sententia Platonis, o *solis Amatorijs periurijs Dij dant veniam, ac solum venereum iusiurandum nihil valere volunt, ita etiam & tu erroribus de Amore tractantis, veniamque poscentis, veniam dare ne graueris, vt si laudem non meruerim, vitauerim denique culpam;* p *tu suppleas, quae desunt, fac me ames, & vale.*

o In Cōuiu. Icol lau. Pausan.
p Horat. de art. Poet.

c 2 ELEN-

ELENCHVS AVTHORVM


qui in hoc Opere citantur.

ARistoteles.
Albertus Magnus.
Anacreon.
Augerianus.
Alciatus.
Ausonius.
Alemannus.
Ancharanus.
Ariostus.
Athe næus.
Auerroes.
Ap hthonius.
Ælianus.
Buridanus.
Bocchius.
Bonarellus.
Cicero.
Catullus.
Caietanus.
D. Augustinus.
D. Ambrosius.
D. Bernardus.
D. Petrus Grisologus
D. Thomas.
Diogenes Cynicus.
Diogenes Laertius.
Gyraldus.
Guarinus.
Guazzus.
Horatius.
Ioan. Bap. Bernardus.
Isocrates.
Liuius.
Lucianus.
Lactātius Firmianus.
Langius.
Lexicon Iur. Ciuilis.
Marsilius Ficinus.
Martialis.
Macrobius.
Martinus Ant. del Rij
Manutius.
Martinus de Roa.
Mascardus.
Marullus.
Moschus.
Ouidius.
Plato.
Plutarchus.
Plautus.
Petrarcha.
Piccolomineus.
Propertius.
Proculus.
Porphyrius.
Publius Syrus.
Plinius.
Philostratus.
Romęus.
Seneca.
Stobæus.
Suessanus.
Thophrastus.
Tibullus.
Tiraquellus.
Tassus.
Theupolus.
Terentius.
Vincētius Cartharius.
Virgilius.
Xenophon.

IN-

INDEX QVAESTIONVM,

& earum rerum, quæ in ſingulis Capitibus principaliter examinantur.



Quarto,

FINIS.

Don Marcellus Baldaſs. Clericus Regularis S. Pauli pro Illuſtriſsimo & Reuerendiſs.Card.Archiepiſc.Bonon.

Imprimatur

Fr.Hieronymus Onuphrius Doctor Collegiatus, & Lector publicus, ac Sanctiſs. Inquisitionis Conſultor pro Reuerendiſsimo P.Inquisit.Bonon.

AVGVSTINI VLMII

SACRÆ THEOLOGIÆ, AC I. V. D.
Tractatus Philoſophicus;

DE NATVRA, ET EFFECTIBVS Amoris ſeruitiui.

Quid ſit Amor. Cap. I.



X nulla alia re melius valemus cognoſcere naturam, & eſſentiam alicuius rei; quam ex definitione eiuſdem; Definitio enim eſt oratio explicans quidditatem rei, & eſt vnum ex principalioribus inſtrumentis addiſcendi, vt ſatis conſtat ex lib. Poſt. Ariſt. Vndè & Cic. in lib. de offic. in princ. ait, quod *in vna quaq; re à definitione debemus incipere, vt ſciatur illud, de quo diſputatur*, ſicut Pater ſcientiarum Ariſt. ferè ſemper in exordio cuiuſque tractatus definitionẽ præponere conſueuit. *Ariſ.* *Cicer.*

Definitiones autem Amoris, quæ circumferuntur, vel potius deſcriptiones, iſtæ ſunt principaliores; Marſil. Ficin. in *Marſil.*

Sympoſ.orat.2.cap.2.definit Amorem, quod *ſit circulus bonus, à bono in bonum perpetuo reuolutus.* Aliam ex eodem refert Ioannes Baptiſta Bernard. In ſuo Semin.Philoſophiæ Tom. 3. verbo quid ſit Amor, quod *ſit circulus quidam à bono manans, per pulchrum progrediens, in pulchri imagines currens, per illas ad pulchrum conuerſus, & in bonum denique per pulchrum reuolutus*; vel vt alijs magis placet, Amor eſt circulus bonus, cuius tam Centrum, quam circumferentia eſt bonum, ſed lineæ à Centro ad circumferentiam ductę ſunt pulchrum, itaut à Centro bono, per lineas pulchras, tendat ad circumferentiam bonam, & à bono per pulchrum in bonũ: incipit enim Amor ab aliquo bono, quod in ſe realiter ſit bonum, vel quod ſibi videatur bonum, eoq; frui intendit, & nunquã quieſcit, vſque dum eo non fruatur, & propterea cum ſit bonus, circulum facit bonum, à bono, per bonum, in bonum. Aliam definitionem tradit idem Marſil. dicta orat. 2. cap. 8.

Marſil. *Amorem ſcilicet eſſe mortem voluntariam*: moritur enim quiſquis amat, in ſe ipſo mortuus, & in ſolo amato ſolummodo viuens, vt infra latius videbimus. Diogenes Cynicus, prout

Diogen. Cyn. Paul. Manu. refert Laert. in vita illius, & Paul.Manut.lib.3.in Apophth. Diog.nu.7. dicebat *Amorem eſſe Otioſorum negotium, & quod propterea dum otio illi ſe vacare putant, in rem negotioſiſsimam incidunt*, ſic etiam interrogatus Theophraſtus, prout refert Stobęus de vituper.Vener.ſerm.62.vol.1.quid eſſet Amor,

Stobęus. reſpondit, *Animæ otioſæ affectus.* Hinc Achil. Boch.

Boch. *Vrentes pariunt ſemper lenta otia Amoris,*
Vnde eſt mors viuens, irrequieta quies.

Plutarc. in comparat. Thæſei cum Romulo, & in lib. ad Princip.

Princip. in erud.definit Amorem, quod *sit Minister Deorũ, hominibus exhibitus, pro cura, & salute iuuentutis*; Seneca in Octau.act.2.scen.2.definit, quod *sit vis magna mentis, atque blandus animi calor*, sed vt verum fatear, istæ sunt potius quædam descriptiones Amoris morales, mysteriosæ, & curiosæ, quàm propriæ, & veræ definitiones. Plutar. Senec.

Ideo magis phisicè considerantes naturam, & essentiam Amoris, aliam alij eius definitionem tradidere. Idem Marsil.loc.cit.orat.1.cap.4.dicit secundum omnes Philosophos, hanc esse communem definitionem Amoris, quod *sit pulchritudinis desiderium*; & hæc est illa certè, quæ communiter per ora hominum volat; sic Theophrastus definiebat Amorem, quod *sit animi cupiditas, celerem habens ingressum, tardum vero egressum*; sic Plat.in Conui.in orat.Socr.dicebat, quod *Amor est appetitio desiderans bonum*: quam tamen, dum magis ad viuum considero, puto, nec esse veram, nec vniuersalem: Non veram, quia desiderium, cupiditas, & appetitio sunt potius effectus, & quædam qualitates, quam essentia Amoris; & si rectè consideres, desiderium oritur ex Amore, & non ex desiderio Amor, & potes amare, & non desiderare, at nō potes desiderare, nisi ames; Nec etiã vniuersalem, quia multi viri nobiles, & religiosi etiam amãt pulchram, & venustá mulierem, nec tamen eam desiderant, solum pascuntur illa pulchritudine, & venustate, nec vlterius procedunt: Potes tu amare, & diligere pulchrũ canẽ, vel equum alicuius, & tamen illum non desiderare; amas quia est amabilis, & tibi placet, sed non desideras illum; sic omnium amantissimus Franc.Petrarc.Sonet.303.par.2. huius rei apertissimũ Marsil. Theophrast. Plat.

facit testimonium, dum inquit;

Petrarc. *E senti, che ver te il mio core in Terra*
Tal fu, qual hora è in Cielo; e mai non volsi
Altro da te, che'l sol de gli occhi tuoi.

Et quamuis parte prima Canz. 3. in fine videatur desidé rare D. Lauram, dum ait,

Con lei fuss'io, da che si parte il sole,
E non ci vedess'altri, che le Stelle,
Sol' vna notte, e mai non fosse l'Alba;
E non si transformasse in verde selua,
Per vscirmi di braccio, come'l giorno,
Ch'Apollo la seguia, qua giù per Terra.

Tamen hoc forte dixit propter aliquam insaniam, & furorem Amoris, & secundum sensum magis, quam secundũ rõnem; sed quidquid sit de hoc, sufficit nobis, qđ possimus amare, & nõ desiderare; nec est hic locus defendẽdi Petrarc. ergo nõ est bona ista communis definitio. Nec dicas, ꝙ per tale desiderium, debemus intelligere desiderium rectum, iustum, & honestum, non autem desiderium effrenatum libidinis, & quod sicut Amor nascitur ex pulchritudine obiecti; ita etiam hoc desiderium versetur solum circa aspicere; & considerare illam pulchritudinem, & ab ea reamari, sed non procedat vlterius ad fruitionem carnalem; vnde propterea appellatur desiderium pulchritudinis, non autem libidinis; quia ego respõdeo, quod quoquomodo accipias desiderium, nũquam erit verum phisicè loquendo, Amorem esse desiderium, quia ẽt hoc modo, necesse est, vt prius nascatur Amor, & ames eã pulchritudinem, & postea desideres

cum

cum ea conuersari, hinc Philostratus, Ionicum lib. 2. in Parthia dicit, *desiderium esse pedissequum Cupidinis, non autem ipsum Cupidinem.* In hoc ergo interim, quid erit Amor? certe ista definitio non explicat. Præterea quando Amans potitus est, & fruitur re amata, cessat desiderium illius, quia desiderium est solum earum rerum, quas non possidemus, & præsupponit semper priuationē rei desideratæ, non tñ tunc cessat Amor Amãtis, immo potius crescit Amor ex possessione rei amatæ; in summa fruendo amat, fruendo autem non desiderat, ergo potest esse Amor sine desiderio, ergo non est bona ista communis definitio; prout etiam eam reijcit Franc. Piccol. in lib. de diffin. rer. & in primo gradu moral. Philosophiæ cap. 19. Et quamuis D. Thom. p. 2. q. 25. art. 2. in corp. aperte dicat, quod secundũ consecutionē Amor præcedit quidem desideriũ, sed secundũ intentionem, desideriũ præcedit Amorē, ibi: *Et ideo secundum hunc ordinē .s. consecutionis, Amor præcedit desideriũ, et desideriũ præcedit delectationē: sed secundũ ordinē intētionis, est ecõuerso: nã delectatio intenta causat desideriũ, et Amorē: delectatio .n. est fruitio, quæ quodãmodo est finis.* Tñ ego puto hanc distinctionē non plene probari, quia nullus vnquam mouetur ad amandũ propter huiusmodi delectationē sola intentione cōceptam, sed est necesse, vt prius amet, & postea delectetur re amata, vt vnusquisq; in seipso probare põt: sed data veritate distinctionis, dicō tñ ex ea solũ colligi posse prius esse desiderium in sola intentione, & fine Amantis, nō aũt in effectu, & in reali generatione Amoris, & desiderij, prout nunc quærimus nos: vnde & in ead. q. art. si. in corp. *Nam respectu boni incipit motus in Amore, & procedit*

Philost.

D. Tho.

dit in desiderium, & terminatur in spe.. & q. seq. artic. 2. in corp. *Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur Amor, qui nihil est aliud, quàm complacentia appetibilis: & ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, & vltimo quies, quæ est gaudium*. ergo potest esse Amor sine desiderio ergo non est bona definitio. Suessanus vero in lib. de pulchr.

Suess. ait, *Amorem esse affectum residentem in appetitu sensitiuo, quo animus inclinat, allicituráq; ad id, vt vero pulchro fruatur, per omnes sensus, per quos species pulchri fertur ad animum, vt in eo pulchro, atque ex eo generemus, pro perenni nostra conseruatione*. Diuus August. in lib. de Spir. & anim. c. 45. & in lib. de sub-

D. Aug. stan. dilect. cap. 2. definit Amorem, quod *sit delectatio cordis alicuius, ad aliquid, propter aliquid, per desiderium currens, & per gaudium requiescens, per desiderium in appetendo, & per gaudium in perfruendo*.

Sed breuius dicamus, Amor est affectio animæ erga bonum, ratione pulchri, cum desiderio, quandoq; consequen-

Piccol. di illud, eoq; fruendi: hæc est definitio, quam tradit Piccol. in lib. de defin. rer. magis essentialis, melius à me reformata, si rectè consideres, & tenenda: Constat enim ex suo proprio, & proximo genere, & ex suis differentijs; quia Amor connumeratur inter alias animæ perturbationes, & affectiones, vt omnibus est notum, ergo bene definitur per affectionem, tanquam per genus proximũ; Et quamuis etiam in hac definitione apponatur desiderium, non tamen apponitur pro essentia, & genere Amoris, vt faciunt alij in definitionibus allatis, sed loco differentiæ: Et quoniam, vt plurimum ex Amore nascitur desiderium, & desiderium est pri

ma

ma qualitas, & prima proprietas Amoris, ideo apposui illá particulam *cum desiderio quandoq; consequendi illud, eoq; fruendi*, vt etiam hunc frequentissimum,& coniunctissimum effectum Amoris explicarem; & per illud verbum, *quandoq;* declaratur,quod desideriũ non semper, & necessario sequitur Amorem,& quod non est de essentia illius,sed quod aliquando solum ex Amore nascatur; Et hæc sint satis circa definitionem Amoris.

Variæ considerationes circa Amorem. *Cap. II.*

An rectè Amor fingatur Deus, Articul. 1.

HInc considero Amorem in anima solum posse reperiri, nec esse aliquid extra eam, per se existens in rerum natura,distinctum, ac separatum, sed in Amante solũ existere; & propterea minus rectè fecerunt illi antiqui fabulatores,vel Poetę existimantes,Amorem esse Deum,ac Deũ potentissimum,eiq; templa sacrantes; Vt hanc quoque veritatem cognouit Pater Amoris Plato in Sympos.in orat. Socrat. vbi Amorem appellat non magnum Deum, sed magnum Dęmonem; *Dij enim sunt illi*, inquit ipse,*qui non egent alquo externo bono,nec pulchro*, Amor autem indiget,& bono, & pulchro, quia est appetitio desiderans bonum, ergo non rectè dicitur Deus; & quamuis supra in Collaud.Phæd.dixisset,Amorem esse magnum Deum,tamen mutat postea sententiam, & illum non magnum Deum, sed magnum Dęmonem dixit; Vnde Strobęus in Florilegio de Vener.& Amor. serm.61.vol.1.ex sententia incerti cuiusdam Auctoris refert ista carmina. Plato.

Quis

Quis Deum vocauit Amorem? nullum Dei malum videmus
Opus: at ille, humano sanguine gaudet.

Duplici támen ratione puto ego Amorẽ fuisse appellatũ Deũ; prima ob vim, & potentiam illius: *Dij n. maxime laudantur à potentia*, vt inquit Plutar. in Amator. Vnde quia vis amoris est potentissima, & talis, & tanta, vt possit propterea æquari potentiæ Deorum, immo & maior dici possit, quia illi Dij pluries experti sunt faces, & sagittas Amoris; & vi Amoris ad insaniam, & furorem sæpe deuenerunt, vt latè, & elegantissimè ostendit Seneca in Hippol. act. 1. in Choro, docens Deos, Inferos, homines, cuiusq; ætatis, & sexus, bruta, terrestria, aeria, aquatilia esse sub potestate, & dominio Amoris, Amoremq; in omnia ius, ac iurisdictionem habere; Vnde, & in Hercul. Oeteo act. 2. Scen. 1.

Plutar.

Senec.

Te te precor, quem Mundus, & superi timent,
Et Aequor, & qui fulmen Aetnæum quatis,
Timende Matri teliger sæue Puer. & Paulo post.
Tu fulminantem sæpe domuisti Iouem,
Tu furua Nigri sceptra gestantem Poli,
Turbæ ducem maioris, & dominum stygis.

Et Athenæus lib. 12. in princ.

Maximis, ac potentissimis Deorum nihil vires suas prodesse, sed grauissima damna pati, cum voluptatibus, ac Amore prouehuntur. Et mortaliũ, ac immortaliũ mentes Amore domari, docet etiam Marsil. in Sympos. in orat. 1. c. 2. ex Hesiod. & Orpheo; Ideo ob talem potentiam crediderunt esse Deũ, & tot Epitheta, & Titulos adinuenerunt, vt plenius explicarent & potentiam, & naturam illius.

Marsil.

Se-

Secunda, vt sub velo Deitatis maior esset libertas libidinis, & excusaretur furor Amantium, Amorem dixerunt Deum,& Venerem Deam. Vnde idem Senec. in Hippol. Act. 1. Scen. 2. elegantissime dixit, Senec.

Deum esse Amorem,turpiter vitio fauens
Finxit libido; quoque liberior foret,
Titulum furori, Numinis falsi addidit.

Et infra:

Vana ista demens animus asciuit sibi,
Venerisq; nomen finxit,atque Arcus Dei.

Et in Octau. act. 2. Scen. 2.

Volucrem esse Amorem fingit,immitem Deum
Mortalis error:armat, & telis manus,
Arcusq; sacros instruit sæua face,
Genitumq; credit Venere, Vulcano satum:
Vis magna mentis, blandus, atque animi calor
Amor est; iuuenta gignitur, luxu, otio;
Nutritur inter læta fortunæ bona;
Quem si fouere,atque alere desistas, cadit;
Breuiq; vires perdit extinctus suas.

Vnde & Marul.in hac re,prout refertur in expositione Emblemat.Alciat. 113.

Mitior auctore est credita culpa Deo. Marul.

Quod clarius explicuit Guar. in sua Fabula Pastor. act. 4. Scen. 8.

Per honestar la loro Guar.
Empia dishonestade
Col Titolo famoso
Della tua Deitade.

Sicut dicunt de Romæ Parentibus Remo, & Romulo, quod fuerint geniti (Syluia quidem Numitoris filia) sed tamen compressa ab Amulio Numitoris fratre; & quia tunc erat armatus, propterea credidit ipsa se è Marte concepisse, vt testatur Plutar. in Romuli Vita in princ. ibi, *quamuis deceptam ferant ab Amulio, qui armatus eã stuprauerat*; vel vt narrat Liuius in princ. *vi compressa Vestalis, cum geminum partum edidisset, seu ita rata*, quia putabat se à Marte compressam, *seu quia Deus author culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis Patrem nuncupauit*; & Vincent. Chartar. de Imagin. Deor. antiq. de imag. Cupid. in princ. *Omnium animi perturbationum, nulla equidem vehementior, aut perniciosior est Amore. Itaq; nihil mirum, si veteres, apud quos nullus nõ animi morbus, aut vitium Numinis loco habebatur, Amorem Deum, & magnum illum quidem coluerint, cupiditatis turpitudini diuinitatis nomen obtendentes.*

Plutar.

Vin. Ch.

Et tertio, quia vt inquit Plutar. in Amat. absurdum putarunt antiqui, vt Mars, qui nos perturbat, qui pugnax est, qui homicidia, qui arma, iacula, murorum oppugnationes, Prouinciarum, Regnorum destructiones, ac solũ prędationes libenter inspicit, sit, & habeatur pro Deo: Amor autem, qui causa est totius pacis, charitatis, societatis, amicitiæ, & beneuolentiæ eo nomine careat, nec habeatur pro Deo, & qui tot bona largitur huic Mundo, nõ sit Deus, ibi: *Ergone, quod nos perturbat, quod pugnax est, & aduersarium Deum habet, & quod Amoris, Societatis, & congressus est efficax, eo caret? est vero Deus, qui homicidia, arma, iacula, murorum oppugnationes, prædationesq; inspiciat, & gubernet; & adfectio animi, & amicitia in nuptias, & Communitatem desinens, nullum*

nullum Deorum testem, inspectorem, ducem, adiutoremque habet?

An rectè Amor fingatur filius Veneris. Artic. 2.

AMplius considero, quod similiter male finxerunt, Venerem esse matrem Amoris; Nam, vt etiam animaduertit Piccol. loc. cit. Venus dicitur Dea pulchritudinis, pulchritudo autem est obiectum Amoris, ergo non potest esse mater Amoris. Præterea, Mater est illa, quæ recipit semen pro generatione prolis, pulchritudo autem potius infundit semen, quatenus excitat, & præbet occasionē pro generatione Amoris, ergo potius Pater, quam mater dici valeret, phisicè loquēdo; & ideo Plato in eadem orat. Socrat. dicit, Amorem posse dici filium Veneris, quia fuit conceptus, & natus in festis diebus, & natalibus Veneris; in illis enim diebus, quando dies natales Veneris celebrabantur, omnes Dij conuenerunt ad illos celebrandos; & cum cœnati essent, Porus nectare ebrius, Iouis hortum ingressus, somno grauatus dormitauit. Penia autem desiderās ex eo filium concipere, quasi ex insidijs iuxta eum accubuit, & ex eo facta grauida, filium concepit, qui fuit appellatus Amor, & filius Veneris dictus, quia in natalibus festis Veneris conceptus, & natus fuerat; non ergo rectè Venus fingitur Mater Amoris. Vnde Plutarc. in Amat. paulo post medium, inquit, veteres Poetas finxisse, Amorem esse filium Iridis, & Fauonij, quia sicut Iris nil aliud est, quam refractio quædam radiorum solis in nube rorida, leui, & mediocriter illuminata, ita etiam iste Amor nos refrangit, & reflectit ad contemplationem diuinorum, & cęlestium,

Piccol.

Plutar.

vt infra latius videbimus, cum de Amore Platonis agemus cap. 13. sed Piccol. loc. cit. fabulis dimissis, alios assignat parentes Amoris; dicit enim bonum esse patrem, pulchritudinem velut semen, & instrumentum, Animam esse matrem semen recipientem, ex qua deinde, & in qua dicitur procreari Amor.

Piccol.

Vtrum ex similitudine, & quot modis nascatur Amor. Artic. 3.

CONsidero amplius, quomodo in nobis dicatur generari Amor; & reperio quod tribus præsertim modis generatur natura, fortuna, & præelectione; natura (& fato etiam, quod idem est; non enim differunt realiter inter se ista duo, natura, & fatum ex sententia Arist.) quatenus per naturam, & à natura sumus procliues ad bonum, & propterea etiam ad pulchrum, quia bonum, & pulchrum sunt ex illis transcendentibus, & mutuo conuertuntur, nec differũt, & omne bonũ, quatenus tale, est etiam pulchrũ, & pulchrũ, quatenus pulchrũ, est ẽt bonum; bonũ autem, & pulchrum est obiectum Amoris. Vnde dicit Arist. in 8. moral. Nicom. cap. 2. & lib. 9. cap. 3. quod *quisq; amat, quod est, vel quod videtur bonum, & quod non amatur, nisi bonũ*; & in 7. moral. Eudemio. c. 17. inquit, *Siquidem naturalis est per cupiditatem iucundæ rei appetitus, ac natura omnia ad bonum festinant*, & in principio Polit. *quod omnes omnia agunt propter bonum, gratia boni, & bonum aliquod cõiectant:* & in 2. Magn. Moral. cap. 12. *Est igitur amabile non quicquam aliud, quam per se bonum: amant autem se inuicem quatenus amabiles, & amabiles quatenus boni; si quidem amabile bonum est*, & ibid. c. 17. *omnes ad bonum prosiliunt*. Et propterea definitur ab eodem

Arist.

dem Arist.in princ.Moral.quod *sit illud, quod omnia appetūt.* Ergo quādo videmus aliquid, quod sit, vel nobis videatur bonum, statim appetitus ad illud currit, & illud amamus. Et propterea Piccol.in 2.gradu Moral. Philosoph. cap.16. dicit ex Marſ.Ficino, quod desiderium boni, & pulchri est quodammodo violentum: Tum quia eius principium est extra: Tum etiam quia tali desiderio nō potest resisti, nec possunt non appeti; & dicit Arist. 7.Eudem.c.4. *Neque rem vllam interuenientem obstare decet, vt bonum ipsum non delectet.* Insuper à natura, quia Amor sæpe nascitur ex naturali Sympathia, & ex consimili temperamento Amantiū, qui cum sint natura consimiles, naturaliter etiam se mutuo amant, quia vnum simile semper appetit suum simile, ex vi quadam naturali, occulta, & ignota. Vnde Plato in 4.de Republ.inquit, quod *simile à simili prouocatur,* & in Conuiuio in orat. Agath.quod *simile semper adhæret simili;* & Arist.in 8.Moral.Nicom.c.1.inquit *similem ad similem ire, & Graculum ad Graculum,* & lib.9.cap.3. quod *simile simili est amicum;* Et 2.Magn.Moral.cap.12. *Siquidem Graculus Graculo adsidet, semperq; Deus simile agit ad simile:* & 7. Eudem. capitu. primo: *Videtur enim nonnullis similem simili amicum. Vnde natum est, quod fertur; Deus similem semper adducit ad similem: Etenim Graculus ad Graculum, & fur furem cognoscit, & Lupus Lupum: Similia ad similia contendere:* & capitu. quarto. *quapropter similia similibus mox gaudent, & æqualis æqualem delectat, & malus malo iucundè viuit.* & Eccleſ. 13. *omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi: omnis caro ad similem sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.*

Pіccol. Plato. Arist.

Sed

Plat. Arist. D. Tho. Sed hic se nobis grauis offert difficultas: Nam Plato in Lyside, & Arist. in loco nuper cit. & Diu. Thom. prima 2. q. 27. art. 3. dicunt, quod non solum similitudo est causa Amoris; sed immo potius quãdoq; causa odij, & dissimilitu do est quandoq; causa Amoris; quia Artifices eiusdem Ar tis se mutuo odio prosequũtur, Vndè inquit ibidem Arist. Arist. quod *figulus figulo inuidet, & ad inuicem corrixãtur*; Amplius infirmus amat sanitatem, & pauper amat pecuniam, & ta men quatenus tales habent dissimilitudinem cum re ama ta: Terra arida amat pluuiam, & homo frigidus amat ca lorem, & calidus amat frigus: & inter Patroclum, & Achil lem narrant fuisse mores omninò contrarios, & tamen se inuicem maximè amabant. Vnde inquit Arist. 2. magn. moral. loc. cit. *contrarium contrario conciliari, & simile nõ eget simili*; Et ibidem in 7. Eudem. capit. 1. *Alij verò contrarium contrario amicum asserũt. Amabilia enim desiderabiliaq; omni bus amica sunt: & siccum humida non sicca appetit: Et simile simili inimicum, & figulus odit figulum*. ergo similitudo est quandoq; causa odij, & dissimilitudo causa Amoris, vel sal tem non semper Amor causatur à similitudine, & quis tan dem negabit Amorem oriri etiam absque similitudine? cum Bruta, & feræ etiam ipsæ, quę solo instinctu naturę du cuntur, ad lasciuiam vsque amauerint multos & Pueros, & fœminas? & in primis certè constat Delphinum esse homi nis amantissimum. Omitto libenter (nec enim iuuat, & for san nec etiam expedit) recensere ea, quæ narrat Ouid. lib. 3. Metaph. prope finẽ de Tyrrenis, siuè Tuscis, & Baccho, à quo ipsi versi fuerunt in Delphinos, eo quod illum voluis sent stuprare; cum ex varijs historijs constet, prout refert

Plin.

Plin. hiſt.nat.lib.9.c.8.& Athen.lib.13.nu.299.& ſeq.Delphinos grauiter amaſſe multos pueros,& adeo,vt extinctis pueris, ſtatim etiam Delphini præ dolore expirauerint. Amplius ex eodem Athenæo, Gallus quendam à poculis Regis Bithyniæ Miniſtrum, nomine Secundum grauiter amauit. Apud Argiuos Amphi locum Puerum amauit Anſer: alius quidam Anſer Lacydem Philoſophum magnopere dilexit; & quædam alia Puella ſic fuit à Pauone dilecta, vt extincta Puella,etiam Pauo ſtatim præ dolore expirauerit. Quædam alia mulier prope mortem, & iam animam agens Puellulum ſuum triginta dies natum Elephanti fœminæ cuſtodiendum tradidit,(Elephas iſta Nicea vocabatur) mortua muliere,Amore quodam ſingulari infantem ſic dilexit beſtia,vt Puerum à ſe auelli non pateretur, & ſi eum præſentem non aſpiceret,triſtis doleret, & ſeipſam à pabulo abſtineret: Puerum à Nutrice lactatum, ac in cuna faſciatum,inter medios pedes auidè tenebat, ſtramentũ iuxta cunam congerebat, Puerum calefaciendi gratia,dormientem à Muſcarum tædio defendebat, plorantem, ac vagientem proboſcide, ac manu,cuna agitata, conſolabatur,ac ad ſomnum leniter inuitabat; eiuſdem affectus erat etiam Elephantus Maſculus: tanto Amore erga puerum capta erant iſta duo animalia, vt illum tãquam proprium filium, immo etiam & maiori diligentia cuſtodirent,ac curarent. De quadam ſimiliter Aquila narrat Plinius Hiſtor. natur.lib.10.cap.5.quod educata à quadam Virgine,ſic eã dilexit,vt pro gratia,& beneficio aues ſæpe, alioſq; Venatus Virgini adferret:qua tandem extincta,ac iam proxime comburenda, ſe ipſam quoque in rogum iniecit Aquila,vt

ſicut in vita eius amore flagrauerat, ita etiam in morte ſimul conflagraretur; ac ſicut amando vixerat, ita etiã amando periret, poſtquam iam cauſa viuendi perierat; vna, eademq; vrna eius etiam cineres abſconderet, quoniam & in vita magis in Amata, quam in ſe ipſa amando vixerat; in vita vna anima in duobus corporibus viuebat, in morte autem, & poſt mortem duo corpora in vno corpore manerent; cuius rei apertiſſimum etiam faciunt teſtimoniũ celebres illi canes, de quib. narrat Plutarchus de ſolertia animalium his verbis: *Romano cuidam in bellis ciuilibus iugulato caput amputare nemo potuit, niſi prius canem, qui Dominum cuſtodiebat, ac pro eo pugnabat, circumfuſi confodiſſent. Lyſimachi quoque Hyrcanus canis cadaueri ſolus adſedit, & cum id cremaretur, adcurrens in ignem ſe ſe coniecit. Idem quoque Aſtum Canem à Pyrrho quodam (non Rege illo, ſed priuato) enutritum feciſſe tradunt. Nam & circa cadauer mortui moram traxit, & cum efferretur, lecticæ adſultauit, & in rogum deniq; inſiluit, eſtq; vnà combuſtus.* Sed dices, iſtos Amores forſan fuiſſe ortos vel ex beneficio, vel ſaltem ſine libidine; ſed quid propterea? mihi enim ſatis eſt, iſtos fuiſſe Amores, & fuiſſe inter obiecta omnino inter ſe diſſimilia. Præterea, vt infra latius videbimus c. 6. Paſiphae amauit Taurũ, Semiramis Equum, Alcippe Elephantem, Cleiſophus Marmoreã ſtatuam, & quidam alius Saxeum puerum flagitioſa libidine. Immo & feræ etiam multæ multas amauerunt Puellas etiam vſque ad laſciuiam, vt narrat Plutarc. loco citato, his verbis; *Amores porro multorum extitere animalium, alij ſæui, & furioſi, alij habentes non inhumanam elegantiam, neque inuenuſtam conſuetudinem: qualis fuit Alexandreæ Amor Elephantis*

Plutar.

Plutar.

phantis riualem se Aristophani grammatico exhibentis: amabãt enim ambo Puellam Corallas vendentem, & non minus euidẽter Elephas: Nam per forum Pomarium transiens semper ei poma adferebat, diuq; adstabat, proposcideq; manus instar intra uestem inserta pectus sensim contrectabat. Draco autem, qui Aetolicam feminam amauit, noctu ad eam commeabat, & ad cutem vsque subiens, amplexansq; neque volens, neque imprudens ledebat, placideq; semper sub Auroram abijt: quod cum assiduo faceret, necessarii longius remouerunt fœminam; Draco post id triduum, aut quatriduum non venit quærens, vt apparet, eam, et vagans; Tandem ægrè cum reperisset, non pro more placidus, sed asperior accessit, & cum manus eius reliquis voluminibus corpori alligasset, suras extrema cauda flagellauit, lenem quandã, et amatoriam iram ostendens, quæ plus indulgentiæ haberet, quã pœnæ. Omitto Anserem, qui in Aegypto Puerũ amauit, & Glauces citharœdæ Amore captum Arietem; & ibidem Athenæus, num. 291. narrat, *Pyrrhum Epirotarum Regem, nomine Tertium, magnopere adamatum fuisse à Tigre Leucadia, quã propterea Olympias Mater adolescentis, siuè zelo, siuè timore è medio veneno sustulit.* Dices ne ergo istos Amores ex similitudine ortos? quæ nam similitudo Pueri, vel Puellæ cum Delphino, cum Pauone, cum Gallo, cum Ansere, cum Aquila, cum Ariete, cum Cane, cum Tauro, cum Equo, cum Elephante, cum Dracone, cum Tigre, cum Saxo? *Athen.*

Pro solutione huius difficultatis, notandum est, ex Diu. Thom. ibidem in corp. duobus modis vnum posse dici alteri simile, vel in actu, vel in potentia: similes in actu dicũtur duo homines ambo albi, vel duo homines ambo nigri: similes in potentia dicuntur, vt puta panis, & sanguis: dicit *D. Th.*

Arist. enim Arist.in 2.de Anima Tex.45.quod nutrimur à simili, & cum homo nutriatur pane, quamuis panis non sit similis in actu,est tamen similis in potentia, quatenus dum postea digeritur,de potentia similis, iam redditur in actu similis. Amplius notandum ex eodem, prout declarat do-
Bonarel. ctiss.Bonarel.in suo Tractatu de duplici Amore Celiæ par. 1.cap. 5.particu.7.quod simile aliquando adiuuatur,aliquando impeditur à suo simili in aliqua re pro consequutione
Arist. alicuius boni; sic dicit Arist.in lib.2.de Anima Tex.71. & lib.3.Tex.4.quod simile intus existés prohibet externum, & quod si oculus esset præditus in se illa specie coloris, iam non posset sentire colorem. Et Plutarc. in Sympos. libr. 1.
Plutar. q.2.in fine dicit,quod *similia quædam inter se coniuncta, pugnant, vt Galli, alia vero se mutuo diligunt, vt Graculi.* Similiter etiam,& contrarium aliquando adiuuatur, & aliquando impeditur,si non per se,saltem per accidens à suo contrario: frigus in Antiparistasi à calore iuuatur, & similiter à frigore calor,amarum impeditur à dulci, & similiter ab amaro dulce; nigrum iuxta album videtur nigrius, & similiter album iuxta nigrum albius: hinc contraria iuxta se posita magis elucescunt; & contraria contrarijs curari, dictum est satis vulgatū: ac propterea dicit Arist. 7. Eudem. cap.6. *contrarium autem contrario amicum, quemadmodū vtile: quocirca nōnunquam dissimilibus gaudent, veluti austeri facetis, irritabiles ad iram tardis; & contraria amica propter bonū sunt*; & in 2.Magn.Moral. cap.12. *at quæ propter dissimilitudinem, ea propter commodum, igitur propter commodū inter dissimiles amicitia: ac his vtpote contrarijs amicitia ob commodum exoritur. non dubium igitur quin ob commodum in maximè contrarijs*

trarijs

trarijs fit amicitia: & in 8.Nicom. cap. 8. *Ex contrarijs autē maxime videtur fieri amicitia,quæ ob vtilitatē existit,vt pauper diuiti,imperito sciens amicus fit.*

Ad primum igitur respondetur,quod si Artifices in arte similes corrixantur,hoc non euenit ob similitudinem, formaliter loquendo,sed quatenus ob similitudinē se mutuo impediunt in consequutione lucri amati: omnis enim Amans,quamuis amet Amatum, nō tamen amat propter amatum solum primo, & principaliter; sed amat propter se ipsum,& propter vtilitatem,vel delectationem propriā primo,& principaliter, vt inquit Aristot. in 8.Moral. Nicom.cap.3.& Marsil.in Sympos.orat. 5. cap.2. Et quidem ratio est ex eodemmet Arist.2.Mag.Moral. cap.13. Nam sicut iniurias,quas patitur in Amore, suas, & sibi peculiares putat Amans, ita etiam quando amat,propter se ipsum principaliter amat;sicut propter se ipsum principaliter tristatur,& dolet: *nobis enim ipsis cūcta volumus*, vt inquit ibidem Arist.cap.12. Igitur dum vnum simile videt aliud simile sibi non vtile,sed damnosum,illud non amat,sed potius odit. Sicut dicit idemmet Arist.in 7.Eudem. capitu.6. *quare eatenus simile Amicum est,dum simile bonum est.Contrarium autem contrario Amicum, quemadmodum vtile. Nam quod sibi simile,id inutile est*; & propterea cum figulus laboret propter lucrum,& propter vtilitatem propriam, dum videt alium figulum impedire,vel posse impedire eius lucrum,illum odit,sed non quatenus in arte similem,formaliter loquendo,sed quatenus propter talem similitudinem est impeditiuus lucri amati; Vnde Arist.7.Eudem.capit.1. & 2.Reth.cap.4.inquir, quod similes, & eadem profitētes,

Arist.

Marsil.

Arist.

se inuicem amant, nisi ex eadem re vitæ subsidia consequãtur; aliàs sequitur illud vulgatum, quod figulus figulo inuidet; ratio ergo formalis talis odij prouenit, non à similitudine, sed ab illo impedimento, vel à timore impedimenti; quia quamuis sit similis, si tamen non impediret, vel non timeretur tale impedimentum, nunquam figulus inuideret figulo, ergo non similitudo est causa huius odij, sed tale odium prouenit ab impedimento, vel à timore illius; & licet talis timor, vt ita loquar cum scolasticis, fundamentaliter proueniat ab illa similitudine, ratio tamen formalis illius, non à similitudine, sed à timore impedimenti ratione similitudinis prouenit: & similitudo est solum causa per accidens, nõ per se, talis odij; vt ẽt animaduertit D. Tho. in d. c. 1. 8. Moral. Nicom. vbi hãc eandẽ ferè solutionẽ affert.

D. Tho.

Ad secundum respondeo, quod si infirmus amat sanitatem, & pauper diuitias, & Terra arida pluuiam, hoc prouenit à similitudine, quæ appetitur pro sua conseruatione; sed hæc similitudo in vno est in potentia, & in alio est in actu; & quia, vt inquit D. Thom. d. q. 27. art. 3. in potentia adest potentialiter actus, iam infirmus, & pauper est similis sanitati, & diuitijs in sua intentione; & cum sit similis in potentia, amat ille sanitatem, & iste diuitias, quia vterq; cupit euadere similis suæ rei conseruanti, & sibi vtili; & iste Amor nascitur ex illa similitudine, qua vterq; eorum iam in sua intentione, & desiderio est similis rei amatæ. De Terra arida, dico quod Terra in qualitate Symbolica est iam similis pluuiæ; Terra enim est sicca, & frigida, aqua vero, vel pluuia est frigida, & humida, ergo in qualitate Symbolica Terra est similis pluuiæ; & quia propter nimiam ari-

D. Tho.

di-

ditatem timet, ne euadat calida, ideo amat pluuiam; quatenus ob frigiditatem pluuia est contraria caliditati, & Terræ similis in qualitate Symbolica; & vt inquit Mars. in Lysid. vnum contrarium amat aliud cõtrarium, quia vnum quandoq; acquirit, & conseruat suam sibi naturalem temperiem propter aliud; & non amat contrarium principaliter, sed suam temperiem. Hinc Arist. 8. Nicom. cap. 8. in fine: *Sed forsitan, neque contrariũ per se contrarium appetit, sed ex accidenti; medij autem appetitio est, quod bonum est; Verbi causa sicco bonum est, non si humidum euadat, sed si ad medium perueniat*; sic dicit 7. Eudem. cap. 6. *Contrarium aũt contrario Amicum, quemadmodum vtile. Nam quod sibi simile, id inutile est:* Hoc est frigidus amat calorem contrarium propter vtilitatem, & frigidus non potest amare frigus, quamuis sit sibi simile, quia frigus frigido est inutile; sed contrarium vtile amatur, ex eodem 2. Mag. Moral. c. 12. ibi: *Est igitur in vtroque. Nã proborum per similitudinẽ profecta Amicitia est, atq; per dissimilitudinem, ea propter cõmodum, igitur propter cõmodum inter dissimiles Amicitia: ac his vtpote contrarijs Amicitia ob commodum exoritur: Non dubium igitur, quin in maximè contrarijs ob commodum sit amicitia*; & in 8. Nicom. c. 8. *Ex contrarijs autem maximè videtur fieri Amicitia, quæ ob vtilitatem existit, vt pauper diuiti, imperito sciens Amicus fit.* Mars. Arist.

Ad Tertiũ de Achille, & Patroclo respondet Bonarell. quod in habitibus moralibus, ille qui excedit in aliquo habitu, amat quandoq; alium in illo habitu omnino cõtrariũ ꝑ cõseruatione, & quieta, & durabili cõuersatione, vt excessus vnius tẽperetur defectu alterius: Sic Achilles iracundus amabat Patroclũ mitiorẽ. Preterea nemo scit, ĩ qua re esset

fundatus

fundatus ille Amor; potuit forte esse fundatus in vna re, in qua essent ambo consimiles; sed pro quieta conuersatione, temperari debent habitus, & mores: Vnde Plutarc. lib. 1. Sympos. q. 2. dicit, quod in collocando cõuiuas in conuiuio moroso debet iungi mansuetus, loquaci audiendi cupidus, iracundo tacitus, & mitis, probus pauper munifico diuiti, vt excessus vnius temperetur defectu alterius; & Arist. 7. Eudem. cap. 6. *quoccirca nonnunquam dissimilibus gaudent, veluti austeri facetis, irritabiles ad iram tardis, vt qui à se inuicem ad medium reducuntur; per accidens igitur, velut ostensum est, contraria Amica propter bonum sunt.* Et ita dicuntur isti se mutuo amare, sicut homo frigidus amat calorem, & calidus frigus, non per se, sed per accidẽs; nascitur ergo Amor propter naturalem consimilitudinem, & Sympathiã; hoc tamen non est necessarium, quia, vt infra videbimus, præter huiusmodi Sympathiam requiritur etiam voluntas Amantis, qui si non vult, non potest cogi, vt amet: sed solum dicimus, quod si Amans debeat longo tempore, vel quoquo tempore amare, non potest amare nisi Amatum in aliqua re sibi consimilem. Immo amplius dico Amorem Pasiphae, & eorum, qui insano bestiarum, vel etiam saxorũ Amore tenẽtur, oriri ex aliqua similitudine, & Sympathia, qua istę res amatæ in aliqua re sunt similes istis amantibus male affectis; aliàs in eis nunquam se complacuissent, nisi adfuisset aliqua conformitas, qua traheret sua quemque voluptas.

Plutar.

Arist.

Fortuna etiam, & casu dicitur quandoque oriri Amor, quatenus ob varias occasiones, & varia accidẽtia, allicitur, trahiturque quis ad amandum, qui extra illa non amasset; casua-

casualiter, quandoq; quis facit aliquem actum gratiosum, & amabilem, quem dum quis bene dispositus in eo puncto temporis videt, statim affectione sequitur, Amoreque statim capitur, ac statim amare incipit, qui si eum in eo pũcto temporis non vidisset, non fuisset captus; prout multi, qui ex vno solo visu, gestu, verbo, vel etiam fletu, statim capti, in furias Amoris lapsi sunt; hinc Vincent. Chartar. de Imag. Deor. antiq. de Imag. Cupid. refert in quodã tem plo pictum fuisse Amorem prope fortunam assidentem, eo quia multum valeat in Amore fortuna, ibi: *idẽ in Achaicis scribit se Aegirae in quadam aedicula Cupidinem prope fortunã astantem vidisse; quod eo spectat, vt intelligamus hanc in Amatorijs rebus plurimum prodesse.* Chartar.

Et praelectione etiam nascitur Amor, quatenus dum rudis aliquis se rudem videt, & cognoscit, quaerit, conaturque seipsum ornare virtute, & bonis qualitatibus, vt possit esse aptus amare, & amari; hoc casu Amor nascitur ex prẹelectione, quia nec natura est habilis, cum sit rudis, nec ẽt fortuna, quia nulla adest occasio, ergo ex sola prẹelectione, & ex propria industria amat, & amatur, quatenus per industriam conatus est se reddere talem, vt possit amare, & etiam amari. Puto tamen ego semper esse necessariam bonam dispositionem naturalem, quia, quamuis adsit occasio, & sis ipse rudis si tamen tu non sis benẹ, & opportunẹ naturaliter dispositus, nunquam poteris Amoris igne suaui accendi; quia agens non agit, nisi in passum bene dispositum: immo nec etiam poteris praeligere, quia, cur prẹeligis, & te ornas? quia es naturaliter dispositus ad hoc, vt te ipsum cognoscas, & quaeras ornari bonis qualitati-

bus,

bus, igitur in omnibus est necessaria naturalis dispositio.

Quomodo Amor dicatur augeri post iras. Artic. 4.

INsuper circa Amorem considero, quomodo possit esse verum, quod Amor, qui solo Amore pascitur, & crescit, dicatur post iras, & odia augeri, & crescere; immo non solū post iram, sed ex ipsa ira, vt non inuenustè cecinerit. Terent. *Amantium iræ, Amoris redintegratio est*; & Plutar. in Amat. paulo post medium inquit: *Vt autem Sol per nubes, & caliginem calidiores radios mittit; sic Amor post iras, & detractiones, reconciliato Amasio, suauior fit, & acrior*; & Publius Syrus de Amicit. concord. *Discordia fit charior concordia*; qđ declarans Piccol. grad. 7. Moralis Philosophiæ capit. 21. ait hoc esse intelligendum de ira ex leui causa orta, & solum de Amore lasciuo: Nam de Amore honesto, & morali potius oppositum est verius, quia hunc Amorem ira maximè dissoluit, & in odiū conuertit, & quo maior fuit Amor, inde etiam postea maius oritur odium; *Et qui se nimium amant*, inquit Arist. in 7. Polit. cap. 7. *ij etiam se nimium oderunt. Vnde, & fratrum dissensiones sunt acerbissimæ*; & vulgo dicitur, quod *Corruptio optimi est pessima, & quo vinum est generosius, eo etiam ex eo fortius acetum conficitur*; cuius rationē reddit Plutar. in lib. de frater. Amore: *Quia magnas oportet esse causas, quæ magnam beneuolentiam amicitiamq́; dissipent. Vnde fit, vt non facile locus sit reconciliationi*; sed de Amore lasciuo rationem reddit ibidem Piccol. sed imperfectam, & obscuram: ideo tu dicas, quod cum hic Amor voluptatē maximè desideret, dum per iras, & odium ea voluptate priuatur,

Terent. Plutar. Syrus. Piccol. Arist. Plutar. Piccol.

uatur, ista priuatio generat appetitum. Vnde fit, vt dũ per reconciliationem eandem voluptatem consequimur, maiori etiam auiditate, & delectatione ea fruamur, quia hic Amor est fundatus in voluptate, & aucta voluptate, necessario etiam augetur & Amor; sicut maiori appetitu comedit ille, qui aliquãdiu fuit ieiunus, & per priuationem cibi crescit postea voluptas in cibo. Vnde & D. Ambrosius de Elia & Ieiun. ca. 9. *Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, diuturna continuatione vilescunt: condimẽtum cibi ieiunium est; quanto auidior appetentia, tanto esca iucundior.* Vnde Ouid. lib. 2. de remedio Amoris: *Ambros.*

Sustentata venus gratissima, frigore Soles, *Ouid.*
Sole iuuant vmbræ, grata fit Vnda siti.

Quod etiam elegantissimè descripsit Ariost. cant. 31. quando dixit:

Però ch'ogn'altro amaro, che si pone
Tra questa suauissima dolcezza, *Ariost.*
E vn'augumento, vna perfettione.
Et vn condurre Amore à più finezza,
L'acque parer fà saporite, e buone
La sete, e'l cibo pe'l digiun s'apprezza;
Non conosce la pace, & non la stima
Chi prouato non hà la guerra prima.
Gli sdegni, le repulse, e finalmente
Tutti i Martir d'Amor, tutte le pene
Fan per lor rimembranza, che si sente
Con meglior gusto vn piacer, quando viene.

Hinc & Ælianus lib. 2. cap. 21, narrat quod cum Pausanias ardẽter amaret Agathonem Poetam, Agatho semper *Aelian.*

irascebatur, contendebatq; cum Amante, qui interrogatus ab Archelao Rege, *quid sibi vellet, quod frequenter inimicaretur ei, à quo summopere amaretur, respondit: Huius rei, ò Rex, ego rationem tibi reddam; non enim contentiosior sum, aut morosior aduersus ipsum, neque rusticitate quadam id facio; sed quia ego quoque de moribus intelligo tum ex alijs, tum etiam ex arte poetica iucundissimum Amantibus esse reperio, si ex contentione, & litibus cum Amasijs in gratiam redeant; & sanè mihi videtur, nihil illis delectabilius accidere posse, propterea huius voluptatis persape eum participem facio frequenter cum eo contendēs; gaudiū enim capit maius, si contentionem cum eo subinde dissoluam, & reconciliem: si autem aequaliter, & consueto modo cum eo semper agerem, non experiretur diuersitatem.* Accidit enim in hac re, sicut in Antiparistasi naturali, quotidiè accidere videmus; Nam dum vnum contrarium circundatur, vel obsidetur ab alio, tunc illud colligit vires, ac propter talem virium constipationem intensius, ac validius euadit; & ita vel se defendit ab illo, vel illud expellit; sic accidit in Amore post iras: Amor enim & ira sunt contraria. Igitur quando Amor videt se obsessum, & turbatum ab ira, iam totus se totum in se ipsum colligit, viresq; intendit, vt iram tanquam sibi contrariam expellat; Vnde propter talem viriū constipationem fortior factus, necessario etiam crescit, & amorosam, vt ita dicam, Antiparistasim conficiens, augetur post iras.

De Zelotypia, siue Zelo. Artic. 5.

AMplius circa Amorem considero, quomodò illa, quę Zelotypia dicitur, ab alijs Zelus, & vulgo Gelosia ap

pellatur,

pellatur, ad Amorem se habere dicatur: Ea enim est ita propria Amoris, quæque sit species Amoris, vt non reperiatur Zelus sine Amore, nec verus Amor sine Zelo; Hinc dicitur, quod sola Zelotypia conseruat Amorem, Amoriq; sola tribuit spiritum, & vitam sine qua non solum pigrescit, sed etiam senescit, & moritur Amor, secundum Tass. Cant. 5. stanz. 70.

Sapendo ben, ch'al fin s'inuecchia Amore
Senza quest'arti, e diuien pigro, e lento.

Hæc à D. Tho. & à Plutarc. dicitur principium contentionis, & obtrectationis: & pot dici filia Amoris, quia statim ac generatur Amor, statim etiã Amor generat zelum; sed adeo potentem, vt Pater dicatur superari à filio, & vehementiorem passionem esse zelum, quam Amorem; vel potius debet dici socia, & germana Amoris eodem partu cũ Amore genita, quia statim ac amare incipis, statim etiam timere incipis, vt in prouerbium transierit: *Qui amat zelat, & qui non zelat, non amat*: Vnde & D. August. super Psal. 33. dicit quod, *Quisquis carnaliter amat, necesse est, vt cum zelo pestifero amet, & Liuore, Inuidiaq; saucietur, si & alius eandem rem amauerit*: quod puto, ego de vero, & intenso Amore esse intelligendum; Nam de leui nõ procederet; quia potest esse Amor, leuis scilicet, & insipidus sine zelo: hæc est omnium passionum vehementissima, & nulla alia res citius ad insaniam, & furorem perducit Amantes, quam zelus; & ipse Amor, qui aliàs dicitur vehementissima perturbatio, talis, dico ego, dici debet propter annexam Zelotypiã, qui sine ea est placidissimus; qui enim erat placidus, & quietus, dum zelare incipit, trux, toruus, anxius, turbidus,

D. Tho. Plutar.

D. Aug.

inquietus, molestus, impatiens, acris, Amatæ, sibi; omnibus tandem alijs, & intractabilis fit omnis Amans Zelans; hinc suspicio, & Zelotypia dicuntur vngues, & dentes Amoris, quia his solis nocere potest Amor, & ferire: Vnde Stobæus de vituperat. Vener. Serm. 62. vol. 1. de Amore loquens, ait: *Expelle feram abs te, priusquam vngues, & dentes emittat: sed qui nam Amoris dentes, & vngues? suspicio, & Zelotypia.*

Stobæus.

Hanc Zelotypiam puto ego esse monstrum, & miraculum in Philosophia Amoris; in ea enim reperiuntur duo contraria intensa, eodem tempore, eodem instante, & circa vnum, & idem subiectum: Nam dum amas intensè Amatam, odis etiam intensè Riualem; immo & eandẽ Amatam simul, & eodem tempore, & eodem instante & amas, & odis; amas, quatenus est tibi chara, & ea frui cupis; & cũ tu viuas in illa, si te ipsum amas, etiam & illam amas; odis, quatenus times, nè sui copiam faciat Riuali, nec vllo pacto velles, vt ei vllam præberet occasionem videndi, ambulandi, loquendi, &, si esset possibile, nec etiam cogitandi de ea; itaut iure optimo possit dici monstrum, & miraculum in Philosophia Amoris, vnio, & mixtura duorum contrariorum, amoris scilicet, & odij in vno, & eodem Amante, eodem tempore, & circa vnam, & eandem rem, amatam scilicet. Vnde in expositione Emblemat. Alciat. 113. referuntur isti pulcherrimi versus ex Catullo:

Catull.

Odi, & amo: quare id faciam fortasse requiris,
Nescio, sed fieri sentio, & excrucior.

Item ex Marullo:

Marul.

Odi te, mihi crede, quantacunque es,
Odi, confiteor, Camilla; sed quam

Et

Et odi, & magis in dies, magisq́
Velim odiße, sequi, atque amare cogor;
Sic me Amor retrahit tuus, trahitq́;
Sic quem sæuitia fugas proterua,
Tam raræ reuocas decore formæ.

Et propterea etiam Guar. eleganter hoc expressit act. 1. Scen. 3. his verbis:

Chi vidde mai, chi mai vdì più strana, Guar.
E più folle, e più fera, e più importuna
Passione amorosa? Amor, & odio
Con sì mirabil tempre in vn cor misti,
Che l'vn per l'altro, e non sò ben dir come,
E si strugge, e s'auanza, e nasce, e more.

Ergo est mirabilis, & difficilis in cognoscendo, dura, & intollerabilis in ferendo: hæc sola turbat omnem statum, & felicitatem Amantium, sine qua Amantes fœlicissima vita fruerentur, putarentq; se in hac vita posse beari: Vnde Ariost. cant. 31.

Che dolce più, che più giocondo stato Ariost.
Saria di quel d'vn'amoroso core?
Che viuer più felice, e più beato
Che ritrouarsi in seruitù d'Amore?
Se non fosse l'huom sempre stimolato
Da quel sospetto rio, da quel timore,
Da quel martir, da quella frenesia,
Da quella rabbia detta gelosia.
Ma se l'infernal peste vn'egra mente
Auuien, che ammorbe, infetti, & auueleni.
Questa è la cruda, e auuelenata piaga,

A cui non val licor, non val impiastro:
Piaga crudel, che sopra ogni dolore
Conduce l'huom, che disperato more.
O ineuitabil piaga, che nel petto
D'vn' Amator sì facile s'imprime,
Non men per falso, che per ver sospetto;
Piaga, che l'huom sì crudelmente opprime,
Che la ragion gl'offusca, e l'intelletto,
E lo trahe fuor delle sembianze prime;
O iniqua gelosia.

Ad quã fortè alludit Plato, prout refert Marsil. in Sympos. orat. 2. cap. 8. etiam ex sententia Orphei, quando dixit, *Amorem esse dulce amarum, & mortem voluntariam*; Vnde & Ioseph. Lang. in sua noua Polyantea verbo, Amor Venereus, istos pulchros versus refert ex Plaut. in Cistell. act. 1. Scen. 1.

Plato. Ios. Lãg. Plaut.

Nam ecastor Amor & melle, & felle est fœcundissimus,
Gustu, qui dat dulce, amarum ad satietatem vsq; aggerit.

Plaut.

Et quidem nunquam est dulcis, & amarus Amor melle, & felle permixtus, nisi quando habet admixtam Zelotypiam; dulcis, & melle perfusus ob delectationem, & gustũ, quem vel possident, vel sperant Amantes; amarus, & felle oppletus propter inuidiam, dolorem, & timorem, ne alius eandem rem possideat; dulcis, quatenus est voluntarius, inquit ibi Marsil. amarus, quatenus est mors, & quatenus moritur omnis Amans; cuius tormentum, & dolor est similis dolori Mortis, immo peior morte, quia plus durat, & magis angit: & propterea non sine ratione Lycurg. eã abegit à sua Republ. prout refert Plutar. in vita illius.

Marsil. Plutar.

D.Tho-

D. Thom. in 1.2. quæst. 28. art. 4. reddit rationem: Vnde nascatur iste Zelus: dicit enim quod prouenit, & oritur ex intentione Amoris; & quia dum vna facultas intensè tendit ad aliquod bonum, iam intensè odit omnia sibi cõtraria; & omnia ea, quæ possunt impedire consequutionem illius, vel etiam quietam eius possessionem; Amans autem, quia intensè amat Amatam, iam maximè odit omnia ea, quæ illum possunt impedire, ne re Amata fruatur, vel saltem, nè quietè fruatur: ex quo nascitur odium, timor, & inuidia contra omnes illos, qui & possessionem, & quietam possessionem rei amatæ possunt impedire. Præterea, vt idẽ D. Tho. inquit loc. cit. art. 1. & Steph. Theupol. lib. 1. Academic. contẽpl. c. 6. omnis Amor pro fine habet vnionẽ Amatæ cum Amante, vel animorum, vel corporis. Sicut dicit Arist. 2. Polit. cap. 2. prope finem: *Propter eximiam Amantium cupiditatem, applicari simul, & ex duobus fieri vnum, & propterea necessarium esse ambos corruptos esse, vel vnum:* & Plat. in Sympos. in Aristoph. laud. *Congressu videlicet, ac commixtione cum Amato vnum ex duobus confici*; & Amãs presertim lasciuus pro fine habet vtranque vnionem tam animi, quam corporis, & magis quandoq; secundam, quam primam; Vnde sicut ipse animo, & affectu est vnitus Amatæ, ita etiam maximè cupit, vt vice versa, etiã Amata vniatur sibi non solum animo, sed etiam corpore, & tam affectu, quam effectu; quando igitur videt, vel saltem timet aliquem posse impedire optatam huiusmodi suam vnionẽ, iã contra illum statim tanto odio, & inuidia insurgit, vt eum maxime odio habeat, iamq; nullo pacto possit pati Riualem, tãquam illum, qui Amatam potest deturbare, ac à tali

D. Tho.

Theupol

Arist.

Plat.

vnione remouere; Vnde, & ſimul odit Riualem, & amat Amatam; immo & ipſam Amatam & odit,& amat,vt ſupra dictum eſt; & ideo liberè poſſumus dicere odium naſci ex Amore,Amoremq́; eſſe parentem odij; Nam ideo odi Riualem,quia amo Amatam,& ſi hanc non amarem, illum non odiſſem:odi mortem,quia amo vitam:odi infamiam, quia amo gloriam:odi furē,quia amo diuitias: Vnde ſi non amarem vitam, honorem, & diuitias,nec etiam odiſſem mortem, infamiam,& furem,ſicut zelus,qui ſupponit odium,naſcitur ex ipſo Amore; & iſte Zelus non ſolùm verſatur circa Riualem rationis participem,tanquam illum,qui poſſit & frui Amata, & deturbare quietam poſſeſſionem Amatæ,ſed etiam circa irrationabilia, & inanimata,in ſumma circa ea omnia,quæ poſſunt deturbare Amatam:Vnde ſi Amata nimiam curam ponit circa veſtes, circa gemmas,iam Amans odit veſtes, & gemmas; ſi nimiam curam ponit circa aues, circa canes, odit & aues, & canes,illis inuidet,velletq́; cum illorum propriam commutare ſortem; Vnde Guar.fab.paſt.act.2.Scen.2.in fin.

Guarin.

Auuenturoſo Can: perche non poſſo
Cangiar teco mia ſorte? à che ſon giunta?
Che fin d'vn Can la geloſia m'accora.

Ex ijs poſſumus colligere definitionem Zelotypiæ. Tiraquel.de Leg.connub.lege 16. in princ. definit ex Cic. in quarto Tuſcul. quod *ſit ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipſe concupiueris:* ex Chriſippo, (& hic eſt ille Chriſippus,quem Laert.in vita illius dicit, cum vidiſſet Aſinum comedere ficus, præ nimio riſu expiraſſe) qui,vt teſtatur idem Laert.in vita Zenon. Cittici,definiebat zelum, *quod*

Tiraqu.

eſſet

esset ægritudo ex eo proueniens, quod adsit alteri, quod ipse quisque habeat: Lexicon Iur. Ciuil. alio modo refert hanc definitionem, *quod sit ægritudo animi, ex eo proueniens, quod timeas, nè adsit alteri, quod cum nemine velis habere commune.* Laert. quidem refert primo modo, sed hæc secunda videtur plenior, & clarior; sed vt verum fatear nulla earum plenè explicat essentiam illius, nec eius naturam, & effectus plenè demonstrat; ideo sic eam melius, & clarius definiri posse putarem. Laert. Lexicon

Zelotypia est vehementissima Animæ perturbatio ex intenso Amore proueniens, odio; & timore per mixta, ne alius fruatur ea re, qua solus Amans frui intensè cupit, vel ne alius impediat, quo minus quietè fruatur; hæc est melior, si recte consideres, & totam eius naturam, & essentiam explicat; vt enim inquit Caiet. in d. art. 4. Zelus potest dupliciter sumi, causaliter, & formaliter: causaliter consistit in feruenti dilectione, formaliter vero in illa Tristitia, Odio, vel Timore, ergo, vt sit bona definitio, debet omnia ista complecti; Vndè & D. Tho. ibidem dicit, quod zelus nō est sine Amore, sicut nec etiam sine odio, ergo ex vtroque est mixtus, ergo eius perfecta definitio debet vtrumq; complecti. Caiet. D. Tho.

Quomodo Amans dicatur in Amato viuere, & de mutua transformatione Amantium. Artic. 6.

AMplius circa Amorem cōsidero, quomodo verum sit illud, & quomodo intelligatur, quod tanquam dictū Catonis maioris refert Plutarc. in vita illius. in Amat & alibi sæpe: *Amantem, scilicet in re amata viuere; & animam ibi potius,* Plutar.

Paul. Manu. *potius esse, vbi amat, quàm vbi animat*, vt inquit Paul. Manut. lib. 5. in Apopht. Caton. Cen. nu. 39. & illud, quod tā
Plat. quam dictum Platonis refert Marsil. in Sympos. orat. 2. c. 8. *Amantem scilicet in se ipso esse mortuum, & in alieno corpore*
Marsil. *viuere*: & quod dixit Orpheus: *Amorē esse mortē voluntariā*, & ibidem Marsil. suo more elegantissimus ista omnia elegantissime explicat. Nam precipua operatio animæ est ipsa cogitatio, igitur vbi anima cogitat, & operatur, ibi est: sed semper cogitat in amato, & de amato, ergo semper est in eo; si ibi est, ergo ibi viuit, ergo omnis Amans in Amato viuit: res enim sicut se habent ad esse, ita etiam se habēt ad operari, & sicut ad operari, ita etiam ad esse: sed Anima Amantis semper operatur in Amato, & de Amato cogitat, ergo etiam in Amato semper viuit, & degit: in Amante enim quasi sui ipsius oblita non operatur, nec de se ipsa cogitat, & nimia cura, & cogitatione Amati deserit multas vitales operationes proprias, non comedit, non bibit, non dormit, non quiescit; Vnde multarum vitalium functionum oblita se ipsam non curat, & prodiga vitæ vitales operationes, & vitam propriam negligit, ac spernit, ergo nec etiam est in eo, ergo in eo non viuit, nec operatur: at qui non viuit est mortuus, ergo Amans in se ipso est mortuus, & solummodo in Amato viuus.

D. Tho. D. Aug. Præterea, vt inquit D. Thom. in 1. par. Summæ quest. 8. art. 4. in 6. ex D. August. *Anima vbi videt, ibi sentit, vbi sentit, ibi viuit, vbi viuit, ibi est*: sed anima Amantis in solo Amato sentit, & videt, ergo in solo corpore amato viuit, cū Anima sit magis vbi amat, quam vbi animat, vt est dictū satis vulgatum: & quia hoc voluntariè facit, & voluntariè

amat,

amat, ideo etiam voluntariè moritur omnis Amans, in se ipso, & in Amato solummodo viuens, ergo omnis Amor est mors voluntaria, & omnis Amans voluntariè moritur; & propterea Marsil. Ficin. in Sympos. orat. 6. ca. 10. inquit, quod Amor sine indignatione esse nunquam potest: quis enim non indignetur illi, qui sibi abstulit Animam? & si Amatus tibi furatur Animam, quomodo potes illum non odisse? itaque illum & odis, & amas: odis tanquam furem, & homicidam: amas, quia, cum tibi videatur cœlesti fulgore micare, cogeris illũ mirari, & amare: amplius odis, quatenus te in carcere, & vinculis detentum tormentis, & dolore cruciat, nec Amori forte respondet: amare cogeris, quia cum in illo viuas, si te ipsum Amas, etiam & illum necessario amas, & si te ipsum odio non habes, nec etiam potes odisse Amatũ, cui mala velle non potes, si tibi ipsi mala non cupis, nec illi nocere potes, si te ipsum in illo occidere non velis. Marsil.

Hic tamen est animaduertendum, quod duplex est Amor, & duplex Amans: Amor simplex, & amor reciprocus, & Amans solum, & Amans amans, & reamatus; in Amore simplici, in quo solus Amans amat, & nõ reamatur, Amans omnino est mortuus, & nusquam viuere dicitur, nec in se ipso, nec in Amato, nec ĩ vllo alio corpore: nõ quidem in se ipso, quia, cum in se ipso, nec de se ipso cogitet, & in se ipso non operetur, nec etiam in se ipso viuit, ergo in se ipso est mortuus: sed nec etiam viuit in Amato, quia vita Amoris Amantis est Amor Amati: Amor enim solo Amore pascitur, & viuit, & sine Amore moritur; Vnde & D. Bernardus Serm. 19. super Cant. inquit: *Amor se ipso satiari* D. Bern.

non potest, & tamen nisi se ipso pasci non potest; ipse sibi dulce satis est pabulum, & Amor nihil magis vult, quam amari; igitur quando Amatus non reamat, nec custodit Amorem Amantis, nec Animam Amantis in se ipso solummodo viuentem, sed illam respicit, nec Amori respondet, iam patitur Animam Amantis omnino perire, ergo nec in se ipso, nec in Amato viuit, & in se ipso, & in Amato est mortuus omnis non reamatus Amans, nec etiam in vllo alio corpore viuere valet: Nam anima humana non nisi in corpore humano viuere potest, & si in eo non potest viuere, in quo viuere maxime concupiscit, quomodo in alio viuet, in quo nec viuere potest, nec curat? in corpore non humano non potest quidem viuere; nũquid forte viuet in aqua, in igne, in aere? & in alio humano corpore viuere non curat, nisi in corpore amati, in quo cum non reametur dicitur occidi, ergo omnino mortuus quicunq; non reamatur Amãs; & propterea dicunt Platonici, vt ibidem declarat Marsil. amatum non reamantem esse obnoxium triplici morti; est enim fur, homicida, & sacrilegus: fur est, & latro, quia rapit, furaturq; Animam Amantis; est homicida, quia cũ non reamet, dicitur in se ipso occidere Amantem; & cum rapiat, occidatq; Animam, quæ est res diuina, & sacra, iam est etiam sacrilegij reus, ergo tanquam omnino infamis, iniustus, & prophanus pluries, si esset possibile, deberet mori, & potest à quocunque impunè occidi.

Marsil.

In Amore vero reciproco, in quo oĩs Amans cũ amet, etiam viceuersa amatur, & in quo vterq; est Amãs, & vterque est etiam Amatus, tunc certè est res mirabilis Amor; Nam quamuis tunc quilibet eorum possit dici in se ipso

mor-

mortuus, potest tamen etiam dici in altero viuus, quatenus Amor huius Amantis dicitur viuere per corrispondentiá in altero, & similiter Amor istius in corpore illius: Vnde cum vterque eorum se totum alteri tribuat, totum etiam alterum in se ipso recipit: vicissim enim huiusmodi Amátes se mutuo commutant, & se ipsum vterq; eorum vtriq; tribuit, vt mutuo se ipsos accipiant, & accipiantur; & vterq; eorum se ipsum habet, & habet etiam alterum; hic enim se ipsum habet, sed in illo, & ille seipsum quidem possidet, sed in hoc; dum enim te amo me reamantem, in te ipso de me cogitante me reperio, & me à memetipso perditum, in te me conseruante recupero; immo & te prius, quam me ipsum lucrifacio; Nam postquam me ipsum amisi, si per te me redimo, per te me habeo, si per te me habeo, ergo te prius, & magis habeo, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed per te ego habeo me ipsú, ergo te prius, & magis habeo, & idem in me tu facis: Vnde iustissima certè est in mutuo Amore vindicta, & debita nimium huiusmodi restitutio, quando hic illi, & ille huic reddit animam, quam accepit; vterq; enim amando, suá tradit, & redamando per suam restituit alienam; adeout in hoc tam recto, & mutuo Amore vna sola sit mors, sed duplex reuiuiscentia, & duplex reperiatur vita: moritur enim semel tantum quicunque amat, sed cum viceuersa ametur, dicitur viuere in Amato, & in se ipso reuiuiscere; & ita vnam tantum animam tradendo duas recuperat, & semel moriendo, duplicem pro vna morte consequitur vitam; *O felicem mortem*, inquit, ibi Marsil. *Marsil.* *quam duæ vitæ sequuntur, ò mirum commercium, quo quis*

se ipsum

se ipsum tradit pro alio, nec habet, nec habere se desinit. O inæstimabile lucrum, quando duo ita vnum fiunt, vt quisque duorũ pro vno solo duo fiat, & tanquam geminatus, qui vnam habuerat vitam, vna sola interueniente morte duas iam habeat; Nã qui semel mortuus, bis reuixit, pro vna vita geminam, pro se vno, duos est consecutus. O ergo fœlicissimos Amatos, ò fœlicissimos Amantes, Amantes, & viceuersa Amatos: nodũ enim per hunc Amorem & moriendo, & viuendo ita suauem facitis, vt nulla Mors dulcior, nec vlla mortalis vita suauior possit reperiri, fœlices ergo diu valete, valete. Nam, vt inquit Stobęus in Florilegio de Vener. & Amor. serm. 61. volum. 1.

Stobęus. *Fœlices qui amant, & pariter se redamant:*
Diligite Amantes, vt si ametis, redamemini:
Amauerunt se inuicem æqua lance: certe olim erant
Aurei homines, cum redamabat Amatus.

De Gratia per relationem ad Amorem. Cap. III.

An rectè, & quomodo Gratiæ dicantur Filiæ Veneris. Articu. 1.

Est præterea ad generationem, Vitam, & conseruationẽ Amoris ita necessaria gratia, vt sine ea nec generetur Amor, nec diu valeat conseruari, & propterea finxerunt Antiqui, Gratias esse filias, & Ancillas Veneris Matris Amoris innuere volentes, hanc matrem adeo indigere gratijs, vt sine eis quasi non posset generare Amorem, & quod Amor sine gratia genitus potius infęlix abortus, quam fortunatus filius Veneris dici valeret; Tres autem di-

ferunt esse gratias, Thaliam, Aglaiam, & Euphrosinem; Thalia significat viriditatem, Aglaia hilaritatem, & Euphrosines delectationem.

Sed hic mihi insurgit grauis difficultas: Nam Gratia in nostro proposito dupliciter accipi potest, pro illa venustate, & lepore, tam facile, tamq; tenaciter animos nostros alliciẽte, & pro beneficio dato, vel accepto: si accipiatur pro beneficio, tunc congruenter sunt tres, & nomina sunt propria, quia beneficium debet dari, & accipi hilariter, & ecce Aglaia: & maiori delectatione debemus dare, quam accipere: Nã vt inquit Mandos. in lib. de ingratitud. in proem. ex Diogen. qui gratiam confert, vt gratiam recipiat, iã Gratias, quæ sunt Virgines, Meretrices efficit, *veh*, inquit, *illi qui Gratias Virgines existentes, Meretrices quærit efficere*, & ecce Euphrosines: nec vnquam debet marcescere beneficij accepti memoria, sed semper debet esse viridis, & florida, & ecce Thalia: hinc eleganter Plutar. in lib. Maxime cum principibus esse philosoph. inquit: *quod multum sapuit, qui nomina Gratijs imposuit*: sed tunc quid quęso commune habent Gratiæ cum Venere? Venus est Dea pulchritudinis, & mater Amoris sensitiui, & in parte concupiscibili maximè residet: Gratiæ autem in hac significatione ad irascibilem præsertim spectant, & rationem potius, quam sensũ sequuntur, magnanimitatem, & nobilitatem maximè ostẽdunt, ergo non videntur conuenire Gratiæ, & Venus: nisi fortè dicas, quod cum Venus semper quærat hilaritatem, & delectationem, & iuuentutem: sine istis enim non virescit Venus, ideo Gratię, etiam in hac significatione possunt dici filiæ, & Ancillæ Veneris, quatenus verum beneficium

Mandos.

Plutar.

maxime hac delectatione, & hilaritate lætatur, quemadmodum homines lætantur rebus venereis; & propterea Arist. Arist.in 4.Moral.cap. 1.ait, quod iucundè, & sine dolore debet dari, quod donatur, alioquin qui dat moleste, non est liberalis; & sine lætitia faciei si dederis, perdis rem, meritumq; rei, inquit Glos. Glos.in ca. 1. extr.de donat. & hoc respectu gratia, & beneficium potest dici filia Veneris. Amplius Gratiæ possunt conuenire Veneri, & Amori etiam in hac significatione, quatenus qui amat, & statim ac aliquis est igne Amoris accensus, statim etiam quærit in Amatum cõferre beneficia, & magis amato quam sibi, hinc dicitur, quod Amor facit liberalem, vt infra latius videbimus.

Dum vero accipimus Gratiam in prima significatione pro illa venustate Amoris socia, tunc certè iste numerus Ternarius non potest conuenire Amori, nec Veneri; quia potest reperiri etiam vbi non reperitur Venus, & mulieres multæ sunt gratiosæ, quæ non sunt pulchræ, ergo in istis gratia non oritur ex Venere: & quatenus gratia deseruit Amori, non possumus dicere, quod gratiæ sint tres tantũ, quia vel est vna sola, vel plures, quam tres, vt tot penè dicã, quot sunt gestus, & motus, vt infra videbimus.

An Gratia sit distincta à Pulchritudine. Artic. 2.

Circa Gratiam in hac significatione, multa sunt videnda, quid sit, qualis, & quomodo ad Amorem, & ad pulchritudinem se habeat: ordiens ab hoc vltimo, quæro vtrum Gratia, & Pulchritudo, sint vnum, & idem, vel potius sint distinctę: & quidem duo prima lumina Philosophiæ Plato, & Arist.inter se nec etiã de hac re conueniunt:

Plato enim Gratiam à pulchritudine non secernit, putatq; idem esse Gratiam, & Pulchritudinem, & propterea Marsil. in Hippia Plat. in Phædro in principio, & in Conuiu. orat. 1. cap. 4. definit Pulchritudinem, quod sit quædã Gratia, quæ animam per mentem, visum, & auditum mouet, & allicit: è contra Aristot. vt docet Piccol. in 8. grad. Moral. Philosophiæ cap. 37. & in lib. de rerum definition. putat, Gratiam distingui à Pulchritudine: hæc enim est ordinata, & proportionata partium inter se dispositio, Gratia autem reperitur etiam, vbi non potest considerari ista partium proportionata dispositio: Nam, & risus dicitur Gratiosus, & fletus, & cantus, & motus oculorum, & labiorum, & variæ aliæ gesticulationes gratiosæ dicuntur, in quibus tamen non adest illa partium proportionata dispositio, quatenus vel incorporei sunt isti actus, & gestus, vel cito transeuntes, vt non possint dici ex ordinata partium proportione constituti, ergo non possunt esse pulchri, & tamẽ gratiosi dicuntur: hinc Arist. in 4. Moral. cap. 3. in princ. dicit, quod *homines parua statura elegantes, & concinni esse possunt, non tamen pulchri*, quia ad veram Pulchritudinem requirit ipse etiam debitam magnitudinem, ergo est ab ea distincta; & puellas multas, & multos iuuenes dicimus gratiosos, non tamen pulchros, & multos pulchros, qui non sunt gratiosi; immo & domus, & vestes, & suppellectilia pulchra dicuntur, quæ gratiosa propriè dici non possunt; quia Gratia consistit in motibus quibusdam, & gestibus, quos inanimata facere nõ possunt, ergo nec etiam possunt dici gratiosa, quæ tamen dicuntur pulchra, ergo Gratia est distincta à Pulchritudine.

Plato. Marsil. Piccol. Arist.

Putarem ego, ſaltem largo modo, poſſe concordari diſcordantes horum Philoſophorum opiniones, itaut verum ſit, Gratiam eſſe diſtinctam à pulchritudine, & ſit etiam verum, non eſſe diſtinctam; eſt diſtincta, quia poteſt reperiri ſeparata à pulchritudine, vt in inanimatis, & animatis etiam multis; attamen gratia vbicunque reperitur, nunquam reperitur ſine pulchritudine: Nam ſicut pulchritudo corporis conſiſtit in illa proportione partium cum debito colore, ita etiam gratia conſiſtit in ſua ſibi proportionata diſpoſitione: Nam ſi geſtus illos, & motus, in quibus dicitur conſiſtere gratia, proportionabiliter non facias ſuo loco, & tempore, & concinnè, nunquam diceris gratioſus; hinc riſus in ore quorundam dicitur flere, & fletus dicitur ridere ratione concinnitatis, & proportionis, qua quis alio gratioſius ridet, aut flet, ergo etiam gratia conſiſtit in ſua proportione, ſicut pulchritudo in ſua; ergo Gratia non eſt diſtincta à Pulchritudine, cum ſemper ſit aſſociata à ſua proportione; & in hac proportione dicitur conſiſtere Pulchritudo ſaltem largo modo.

Quæ nam plus in Amore valeat gratia, an Pulchritudo.
Artic. 3.

QVæritur modo, quæ nam plus in Amore valeat Gratia, an Pulchritudo? Videtur quòd plus valeat pulchritudo: Nam pulchritudo eſt illud bonum, quod mouet, & excitat Amantem, & quo ſolo tanquam vltimo bono quærit, & anhelat Amans frui, atque beari, vt ſupra dictum eſt; nemo autem quærit frui illa concinna geſticulatione Amati, & illis motibus, & geſtibus, qui in loquendo, ridendo,

do, flendo, ambulando conspiciuntur, ergo pulchritudo plus valet. Præterea pulchritudo, & fruitio pulchri est finis Amantis, & ad hunc finem amat, vt amata fruatur, finis autem est ille, qui mouet agentem, ergo plus debet mouere pulchritudo, quam gratia, quia pulchritudo est magis fruibilis; & propterea non sine ratione finxit antiquitas Amorem esse filium Veneris, quę est Dea pulchritudinis, non autem dixerunt esse filium Gratiarum; ergo sola pulchritudo est illa, quæ est apta generare Amorem. Præterea Gratiæ dicuntur esse filiæ, & Ancillæ Veneris, Domina autem, & Mater semper est præstantior, quam sua Ancilla, vel filia, & plus potest Domina, quam Ancilla, ergo voluerunt innuere, plus posse pulchritudinem, quam gratiam.

Quod autem præualeat gratia, probatur ex illo vulgato carmine, frequentiori calculo ab omnibus recepto, quis tamen fuerit ille, qui dixit:

Gratia più che bellezza in Amor vale.

& quidem optima ratione: Nam pulchritudo cum consistat in proportionata partium dispositione, est magis materialis, & ignobilis, gratia autem, cum sit magis spiritalis, est etiam nobilior, diuinior, & propterea etiam potentior; & intimius mouet; hinc pulchritudo in rebus etiam ignobilibus reperitur, vt in Brutis, & in inanimatis etiam multis, gratia autem solum in homine, propriè loquendo, ergo plus debet mouere gratia. Præterea pulchritudo est vna sola, gratiæ autem possunt esse plures, vt tot pęnè dixerim, quot sunt actus, & gestus, ergo in Amore est potentior gratia; & Amor in gratia tanquam in loco magis munito, & fortiori Regiam tenet: hinc Mulierem turpem sola gratia

facit amabilem, at Mulierem inuenuſtam, nec etiam pulchritudo Helenæ, vel Veneris amabilem reddet, vt patet ſenſui, ergo plus poteſt gratia.

Pro ſolutione dicendum puto, quod facta comparatione inter Amantes, alij ſunt, qui amant propter delectationem carnalem principaliter, & in iſtis plus valet pulchritudo, quippe quæ eſt magis fruibilis; alij ſunt, qui honeſtius amant, & amant rem Amatam ſolum, quia realiter in ſe eſt amabilis, ſed tamen ex ea nihil carnaliter deſiderant, vel ſaltem non principaliter, iuxta illud, *quod trahit ſua quemque voluptas*, & in iſtis plus poteſt gratia; ſed etiã abſolutè loquendo dico, quod animos bene diſpoſitos debet plus mouere gratia: Nam cum pulchritudo ſit magis materialis, eſt etiam per conſequens magis ignobilis, & minus potens, gratia autem cum ſit magis ſpiritalis, eſt etiam præſtantior, & potentior, vnde etiam animos nobiles intimius, & magis penetrat; & propterea non ſine ratione dixerunt Antiqui, gratiam eſſe ſimilem ſali, & Gratias ſales appellauerunt, vt declarat Plutarc. in Sympoſ. lib. 5. quæſt. vltima, quia ſicut ſal dicitur condimentum condimentorum in cibo, ita etiam gratia dicitur condimentum condimentorum in Amore, quæ Amori totalem ſaporẽ tribuat, & ſine qua eſſet inſipidus; cibus autem ſi non ſit congruẽter omni ſuo ſapore conditus, non mouet, nec placet omnino niſi famelicis, & rudioribus; ita pulchritudo ſine gratia non mouet niſi famelicos, rudes, & inhoneſtos Amantes, gratia autem tanquam vltimum, & perfectiſſimum condimentum mouet etiam nõ famelicos, omnes rapit etiam eos, qui aliàs non amarent; vt experientia conſtat; ergo plus

Plutar.

plus potest gratia; hinc gratia dicitur vinculum, nexus, & nodus Amoris vinciens, & connectens Amantes, qui sine ea nec facile caperentur, & tenerentur difficilè. Præterea sal conseruat, & præseruat à putredine, vt ibidem Plutarc. his verbis: *Sed quemadmodum Anima nostrarum rerum diuinissima diffluere non sinit molem Animalis, sed eam continet; ita salis natura imitatur Animæ opus, dum cadauera arripiens id, quod ad interitum vergebat, constringit, atque cohibet partibus quondam inter se concinnitatem, atque amicitiam indens:* & super libr. quarto, quæst. 4. *Omnis vero caro mortua est, & cadaueris pars; salis autem vis tanquam Anima superueniens gratiam ei, ac voluptatem conciliat, ne quodammodo, vt ita dicam, viui putrescamus*; ita gratia conseruat, & præseruat pulchritudinem ne vilescat: Amplius sal multum confert ad generatiouem, & languentem libidinem sal maxime excitat, ita etiam gratia ad generationem Amoris maxime confert, & sola ferè languentes animos mouet; hinc dicunt multi, sal esse quid diuinum, quia sicut Deus, ita sal in multis est principium, & causa generationis., ergo gratia est diuinior, & potentior; Vndè, & puellam venustam, gratiosam, & ad permouendum aptam multi salsam dicunt; & præterea non sine mysterio finxerunt Antiqui, Venerem matrem Amoris, & Deam pulchritudinis ortam fuisse è mare, & ex spuma Maris, quod salsum est, vt sub inuolucro huius salsedinis innuerent, gratiam esse illam, ex qua spiritum, & vitam recipit pulchritudo, & sine qua Amor esset insipidus, & pulchritudo Plutar.

inua-

inualida, ergo si quid potest corporalis pulchritudo, totum potest virtute, & potentia gratiæ; in summa, sine gratia ingrata est ipsa pulchritudo, ergo plus potest gratia. Hinc Catullus in quodam suo Epigrammate, cui Titulus est, in Quintiam, & Lesbiam, dicit, quod & si Quintia omnibus videatur esse formosa, & omnes partes pulchritudinis possidere, tamen quia gratia, venustate, ac sale erat destituta, dicit eam nec esse, nec posse dici pulchram his versibus:

Catull.

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est: hoc ego: sit singula confiteor:
Totum illud, formosa, nego: Nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Sed tunc dicunt isti Amatores corporis, & pulchritudinis, pulchritudo est illa, quæ mouet, tanquam bonum, & finis, quo frui desiderat Amans, & ideo Amor fingitur filius Veneris, non autem Gratiarum; quibus ego respondens dico, ista omnia procedere, quia cum pulchritudo sit magis materialis, est etiam magis apta ad explendum desiderium, & fruitionem carnalis Amantis, sed tamen non propterea valet consequentia, ergo pulchritudo est potentior. Præterea nego omnes Amantes amare hanc fruitionem corporis, quia multi, qui honestius amant, non amant, nisi amare, & amari, & esse in gratia rei Amatæ, frui illa gratia, posse loqui, & conuersari cum Amata, sed nihil amplius desiderãt; in his ergo fruitio corporalis pulchritudinis nõ erit finis eorum Amoris, sed tunc solum gratia est finis eorum; & si Amorem dixerunt filium Veneris, hoc dixerũt, dico ego, quia cum pulchritudo sit magis materialis, est et magis apta ad generationem Amoris corporalis, vel ad genera-

nerationem effectus Amoris,& ad conseruationem specierum,quia certè motus oculorum,vel gratia oris nunquam generaret hominem; at non propterea valet consequẽtia:, ergo plus potest pulchritudo; quia in Amore honesto, qui non habet pro fine generationem,& conseruationem specierum,plus potest,magis ligat, magis allicit, & conseruat gratia, quam pulchritudo; & quamuis gratiæ dicantur filiæ,& Ancillę Veneris,hoc tamen non facit,quominus valeat gratia,quia ideo id finxerunt, vt ostenderent gratiam, quandoq; nasci ex pulchritudine,& pulchritudinem; si sit associata à gratijs,nobiliorem,ac in maiori maiestate apparere; at non propterea gratia minus valet,quia etiã Amor, & Cupido dicitur filius Veneris; & tamen in Amore filius superat Matrem;& Venus ipsa Mater Amoris, sæpius sensit faces,& flammas sui filij,amauit sæpius,& sępius fuit victa à filio; Sic igitur etiam & gratia,nam quamuis dicatur filia Veneris; plus tamen potest ad inflammandos homines nobiles,quam Mater,superatq; pulchritudinem in generatione Amoris: itaut pulchritudo tanquam magis materialis præbeat materiam, gratia autem tanquam spiritalior infundat semen,spiritum,& vitam; & gratia vices patris,pulchritudo autẽ vices matris sustineat in generatione Amoris; at Pater est nobilior,& potentior Matre, ergo nobilior, & potentior gratia.

In qua nam parte corporis principaliter consistat gratia,in oculis, an in ore. Artic. 4.

SEd cum sit dictum, gratiam esse distinctam à pulchritudine,& consistere in quibusdam actibus, gestibus, & mo-

& motibus corporis, & membrorum, quæritur nunc iure optimo, in qua nam parte corporis principaliter consistat, ac magis fulgeat; perfecta gratia in omnibus gestibus, in omnibus partibus, & in toto tandem corpore consistit, sed principaliter in qua nam parte? & quæ nam est potentior? Opinio communis est, quod in oculis sit potentior, ac in oculis maxime fulgeat; quia cum gratia, quæ exterius appa ret, sit signum, & participatio illius, quæ interius existit in animo, oculus autem sit fenestra animi, speculum cordis, ac Cęli, & solis imago, signum est oculum præsertim, & oculum solum esse aptum nobis repræsentare gratiam, & in eo præsertim gratiam refulgere: præterea, Gratiæ dicuntur Ancillæ Veneris, & Amoris, & Venus, & Amor vtuntur oculis tanquam principalioribus Ministris, & instrumentis ad generationem Amoris, ergo signum est, gratiã Ancillam Amoris refulgere in oculis. Tanquam in principalioribus instrumentis illius: ex oculis enim præsertim exeunt illæ faces, illæ sagittæ, & fulmina, quæ ita viuaciter, ita violenter animos intuentium incendunt, eorum corda feriunt, atq; vrunt: maxima enim est uis oculorum, ergo gratia oculorum est potentior, & viuacior. Præterea gratia est multum spiritalis, immaterialis, & nobilis, ergo in ea parte præsertim residere debet, cuius operatio est spiritalior, nobilior, & magis immaterialis, talis est oculus, ergo in eo præsertim gratia fulget. Hinc Athen. in Cœnis, lib. 13. num. 279. in fin. *Scribit Aristoteles: Amatores nullam magis corporis partem in ijs contueri, quos amant, quam oculos, vbi est sedes pudoris; ac propterea dum Somnus Endymionem ardenter amaret, Endymionis dormientis oculos claudi non permisit*

Athen.

ſit ſomnus, vt perpetua conſpectus oculorum voluptate frueretur: hinc Pindarus ſublimis ille, ac omnium Poetarum grandiloquus de Theoxeni oculis ita cecinit, Pind.

Qui micantes oculorum Theoxeni radios, & ſcintillantes
Cernit, nec Amore, & cupiditate vndabundus fluctuat,
Atra illius anima ex ferro, & Adamante fabricata eſt.

Et infra num. 297.

Nunc autem fulgentes in Theoxeni facie radios aſpexi;
Qui nulla cupiditate fluctuat, huic atrum
Cor è ferro, vel adamante eſt fabricatum
Gelida flamma.

Attamen ego puto, quod gratia in ore principaliter conſiſtat; Nam gratia conſiſtit in quibuſdam geſtibus, & motibus, ergo præſertim in ea parte reſidere debet, in qua plures, & potentiores geſtus, & motus conſpiciuntur, at plures ſine dubio reperiuntur in ore, & potentiores, quam in oculo, ergo in ore etiam gratia eſt potentior, & maximè fulget: & probatur minor, nam riſus gratioſus maximè placet, fletus etiam gratioſus multos inflammauit, motus labiorum eſt ſuauiſſimus, eorumdem color pulcherrimus, dentium albedo chariſſima, itaut pretioſiſſimæ gemmæ dicantur, ex eo prodeunt ſuſpiria gratiſſima, verba dulciſſima; ſi mouetur, placet, ſi non mouetur, etiam placet; ſi vigilat, rapit, ſi dormit, trahit, inuitatq; violenter ad furtū; per oſculum poſtea promittit vitam, arrhaq; dulciſſima ſuauiſſimæ vitæ appellatur; nulla in ſumma eſt in Amore perfecta voluptas, ſi dulcedine oris, & gratia labiorum ſit deſtituta; quibus ſi tandem etiam linguam adiungas, iam cumulum, & perfectionem omnium voluptatum in vno

ſolo ore collocaſti, ergo cum gratia in ore tot poſſit producere geſtus, motus, & effectus adeo potentes, hæc etiam debet iudicari potentior, quam gratia oculorum, quæ tot geſtus, & motus non poteſt efficere, paucioribusq; modis poteſt ferire. Non obſtat, quod oculus melius repræſentet gratiam interiorem, & ſit pars nobilior, quia dico non propterea valere conſequentiam, ergo gratia oculorum eſt potentior, quia cum gratia conſiſtat in illis geſtibus, & motibus, & in oculis pauciores motus poſſit producere, quam in ore, ergo etiam in oculis habet minores vires.

Piccol. Scio Franc. Piccol. in 8. grad. Moral. Philoſophiæ ca. 38. in fine conciliare has opiniones, quod gratia oculorum ſit laſciuior, effœminatior, & magis materiata, gratia autem oris ſit potentior, virilior, viuacior, & diuinior; ſed ego puto, quod etiam abſolutè loquendo, gratia oris ſit etiam laſciuior, & magis ad laſciuiam etiam trahat, quam gratia oculorum, quia magis valet eam explere; gratia quidem oculorum magis oſtendit laſciuiam, & inclinationẽ rei Amatæ ad laſciuiam, vt inquit Philoſtratus Ionicum lib. 2. in

Philoſt. Panthia: *Cupidinis autem pediſſequum deſiderium adeo eſt oculis infuſum, vt euidentiſsimè ex ipſis effluat*, ſed gratia oris Amatæ magis mouet, trahitq; magis affectum, & laſciuiã Amantis. Vnde poſſemus appellare gratiam oculorum gratiam paſſiuam, gratiam autem oris actiuam, quia illa oſtendit paſſionem, & affectum Amatæ, hæc autem magis habet actionem in Amantem, ergo gratia oris tamquã actiua eſt nobilior, & potentior gratia oculorum.

Quid sit Gratia. Artic. 5.

SVperest modo, vt ex his colligam⁹, quid sit ipsa gratia. Idem Piccol. in eodem grad. 8. cap. 37. & in lib. de rer. defin. varias refert gratiæ definitiones: dixerunt enim nonnulli, gratiam esse quid diuinum, quod occulta Cœli virtute in vno magis, quam in altero fulget: non est bona definitio, quia cum non declarent, quæ nam sit ista Cęli virtus occulta, non intelligo, quid velint dicere: Scio enim ego ex Arist. Cęlum non habere aliam virtutem, quam per motum, & lumen; proueniet ne ergo ista gratia ex motu, vel lumine Cœli? hoc esset ridiculum, vel saltem sine ratione philosophari: Ideo alij dixerunt, gratiam esse qualitatem consurgentem ex figura, & ex illa partium proportione, quæ pulchritudinem constituit: nec etiam ista est bona, quia sic gratia non minus competeret Brutis, & inanimatis, quam homini, cum etiam illa dicantur pulchra; & tamen recte loquendo nullus diceret, ea esse gratiosa: alij dicunt, gratiam esse illud, quod consurgit ex pulchritudine tam animi, quam corporis; sed, vt vides, ista definitio non constat ex suo proprio genere, nec bene explicat eius naturam, & essentiam, ergo non est bona. *Piccol.* *Arist.*

Quare dicamus, quod gratia est illa concinnitas, & dexteritas in varijs actibus, gestibus, & motibus faciendis ex recta tam animi, quam corporis constitutione proueniens, animos videntium, vel audientium maxime alliciens: hæc est definitio Piccol. melius à me reformata, bona, si recte consideres, & tenenda; & iure gratia dicitur consistere in istis motibus, & gestibus, quia mulier, quæ dicitur gratio-

ſa, ſi maneat immobilis, nec geſtiat, nunquam apparebit gratia illius, nec poterit cognoſci: etſi moueatur, & geſtiat, ſed inconcinnè tamen, & ſine proportione, nunquam dicitur gratioſa, ergo iure optimo gratia dicitur conſiſtere in illis actibus, vel geſtibus, concinnè tamen factis; & hæc ſufficiant de gratia per relationem ad Amorem humanum, & ſenſitiuum.

De pulchritudine, ſiue obiecto Amoris. *Cap. IIII.*

De mutua adhærentia Amoris, & pulchritudinis. Artic. 1.

AMor, & pulchritudo ſunt tali, ac tanto neceſſitudinis nodo inter ſe copulati, ac talem, & tantam ſibi mutuam opem ferunt, vt ſicut ex ſola pulchritudine naſcitur Amor, ita etiam ſola pulchritudo ſit omniũ maximè amabilis; & ſicut ſola pulchritudine paſcitur Amor, ita pulchritudo vbicunq; ſit, ſemper pariat Amorem; in ſumma pulchritudo Amori tribuit originem, & vitam, & Amor pulchritudini pręſtat amabilitatem: hinc Amor fingitur filius Veneris omnium pulcherrimus, inter flores, & roſas educatus; & à multis definitur nil eſſe aliud, quam pulchritudinis deſiderium; ita è contrario: *Sola pulchritudo,* vt inquit Plato in Phędro: *hanc habuit ſortem, vt omnium maximè & perſpicua ſit, & amabilis:* & in 3. de Republ. inquit: *Illud, quod eſt maximè pulchrum, eſſe etiam maximè amabile,* & in Lyſide: *Pulchrum eſſe Amicum:* hinc interrogatus Ariſtot. prout refert Laert. in vita illius, cur honeſta forma præ-

Plato.

ſtantes,

stantes facilius amentur, respondit: *Cæci hominis esse huiusmodi interrogationem*, innuere volens, non esse mirandum, si pulchra amentur, immo esse potius mirandum, si non amarentur, quia quisquis videat pulchrum, illud non potest non amare. Vnde Piccol. in 2. grad. Moral. Philos. capitu. 16. dixit ex Marsil. Ficin. & alijs, desiderium pulchri esse quodammodo violentum, quia illi non potest resisti, & pulchrum non potest non amari. Cum igitur Amor, & pulchritudo natura maximè iungantur, debent etiam in cognoscendo maximè iungi, cum res ita se habeant ad esse, sicut ad cognosci, & sicut ad cognosci, ita etiam ad esse; & cum Amor hic præsertim sensitiuus à pulchritudine procedat, ac sit quodammodo partus, & effectus ipsius pulchritudinis, non erit inutile, quod ad maiorem, & pulchriorem notitiam effectus, & filij præcedat notitia Matris, & causæ.

Laert.
Piccol.
Marsil.

De nobilitate pulchritudinis. Artic. 2.

PRæterea quis non stupeat, ac iterum, atque iterum miretur nobilitatem, vtilitatem, ac potentiam illius? Nam, vt inquit Tiraq. de legib. connub. leg. 2. per totam, sed præsertim nume. 31. *Pulchritudo à multis dicitur donum Dei, donum Dei gloriosum, & participatio diuinitatis:* Vnde & Dij, Deæque ferè omnes à Poetis semper pinguntur formosi; Nam cum pulchritudo dicatur forma, à forma enim pendet non à materia: Vnde Arist. prout refert Laert. in vit. illius, dicebat: *Pulchritudinem esse donum formæ*, & Stobæus de laud. pulchrit. ser. 63. vol. 1. definiés ex Plutarc.

Tiraq.
Laert.
Stobæus.

Plutar. Plutarc. quid sit pulchritudo, inquit: *pulchritudo est opus animæ gratificantis corpori decus formæ*, forma autem in 1. Phys. Tex. 81. dicitur bonum quoddam diuinum, & appetibile, sequitur ipsam quoque pulchritudinem esse bonum quoddam appetibile, & diuinum; hinc Plat. in Epist. ad Dionys. Marsil. Regem, prout declarat Marsil. in Sympos. orat. 2. cap. 4. affirmat, Deum esse pulchrorum omnium causam, ac totius pulchritudinis fontem, ac principium: hinc Isocrates in Helenæ laudat: *In tota rerum natura nihil est pulchritudine* Isocrat. *augustius, nihil pretiosius, nihil diuinius: cuius rei signum illud euidentissimum est, quod plures ob formæ præstantiam immortalitatem adeptos esse scimus, quam propter virtutes cæteras vniuersas*: & Stobęus de laud. pulchritud. serm. 63. volum. 11 Stobęus. *pulchros enim plurimi ceu Deos, aut Deorum statuas maximi faciunt, & colunt inseruientes eis: & reuera mihi videtur pulchritudo, nescio quid reuerendum, & admiratione dignum continere.*

De vtilitate pulchritudinis. Artic. 3.

EIus tamen nobilitati non cedit vtilitas. Nam, vt dice- Arist. bat Arist. ex Laert. in vit. illius: *Plus valet pulchritudo ad commendationem, quam omnes commendatitiæ Epistolæ*: & Publius Syrus de Amore, & Fęmin. inquit, *quod formosa* Syrus. *facies muta commendatio est*; pulchritudo enim sola se ipsam maximè commendat: Præterea pulchritudo maximè cōfert pro summa fęlicitate, & summo bono in hac vita mortali, & morali assequendo; Vnde dicit Aristot. in 1. Moral. Nicom. ca. 8. in fine, quod sine pulchritudine, & deformis fęlicitatis compos fieri non potest: *Non enim fœlicitatis ad-* Arist. *modum compos ille est, qui vel specie prorsus deformis, vel genere.*

ignobilis, vel solitarius est, ac prole carens: Vnde & ibidem ipsa fœlicitas appellatur pulcherrima, & iucundissima: hinc Stobęus in Florilegio de laud. pulchritud. serm. 63. volum. 1. *In primis quidem ipsum fœlicem existimo pulchritudine, quæ inter humana bona maximè conspicua, & suauissima Dijs est, hominibus gratissima, possidenti minimè molesta, cognosci facillima; quod nam præmium, vel quæ vera est fœlicitas vitæ, & qui alij Beati iudicandi, quam per Iouem qui corporis pulchritudine præditi sunt, naturæ dono? omnino enim fœlices formosi illis videntur, qui ipsorum pulchritudine frui cupiunt.* Amplius, sicut ex sententia Plat. in lib. de Regno, Senec. in lib. de Clement. & Virgil. in 4. Georgic. Apes in Regem illum solū eligunt, qui & forma, & magnitudine, & nitore cœteris oībus antecellit, & maximè coruscat; ita inueterata quoque fuit consuetudo apud multos Populos, qui illum solum in Regem sibi eligebant, qui cęteris specie oris, & pulchritudine corporis maximè antecelleret: & vt inquit Athenęus lib. 13. num. 281. *pulcherrimis Viris plurimæ gentes Regnum deferebant; etenim, vt par est, pulchritudo maximè Regibus conuenit*: hinc Martin. de Roa lib. 3. singul. capit. 3. *Sed aptius fortassè dixeris Aeneam appellatum à Virgilio pulcherrimum, quod Rex esset, quem maxime forma commēdat:* Scribit Arist. primo de Repub. *Si qui reperiantur ea pulchritudine, quam in Deorum statuis cernimus, nemini dubium futurum; quin ij alijs imperare deberent:* & lib. 4. & 6. *Aethiopas ait, & Indos in mādandis Imperijs proceritatis, ac pulchritudinis habere rationem:* propterea Xenophon ait: *Pulchritudinē esse Regium quiddā Natura:* & Plaut. formam Regiā appellauit; præclarè verò Plin. ad Traianū. *Iam proceritas corporis, iam honor capitis, et*

Stobęus. Plat. Senec. Virgil. Athen. Mart. de Roa. Arist. Plaut. Plin.

dignitas Oris longe, lateq; Principem ostentant: & Latinus Pacat.in Panegyr.ad Theodosiũ: *Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium: illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri, hæc vero, vt deceret*; & quidem non sine ratione; Nam pulchritudo externa corporis est indicium euidentissimum pulchritudinis interioris Animi, & species corporis est simulacrum Mentis, figuraq; probitatis, ac in pulchro corpore pulchra quoque Anima habitare creditur: Nam, vt dicunt Platonici, Animus ille diuinus vẽturus in corpus dignum sibi prius eligit hospitium: etsi, vt inquit Arist.in 8.Metaphys.Tex.6. *Alterius materiæ alius est actus*, adeo vt tali materiæ conueniat talis forma, ac forma pulchra materiæ etiam pulchræ ferè semper, & vt plurimum, de quadam saltem æquitate, in pulchro corpore pulchra etiam debet habitare Anima: hinc dicit Buridan. in suis quæst.polit.lib.1.quæst.8.art.3.ex Arist. quod Natura, in quantum potest, semper intendit dare Animæ nobili corpus etiam nobile, & è contra corpori nobili Animam quoque nobilem; & cum Regem deceat esse prudentem, & fortem, ex forma faciei arguebant & prudentiã, & fortitudinem illius: hinc dictum Euripid. citatum à Porphy. in cap.de spec. *Species Priami digna est Imperio*; & Athenæus lib.13 num.282.inquit: *Nam quibus in Ciuitatibus magnus est Virorum bonorum, fortium, ac bellicosorum numerus, pulcherrimos seligunt, & obtinere primas illos sinunt. In Elide pulchritudinis etiam fit iudicium. Quem pulcherrimum esse iudices pronũciarunt, Dei vasa illi ferenda traduntur; proximus ab eo bouem Victimam agit; Tertius infulas, vittas, coronas, libamina, & id genus reliqua imponit*; & Arist.in 2. de Anima Text.94. inquit:

Latin. Pacat.

Arist.

Buridã.

Eurip.

Athenę.

quit: quod *duri carne inepti mente, molles autem carne benè apti*, quia ex exterioribus violenta quadam presumptione cognoscuntur interiora; & ex habitu corporis arguebant ad habitum mentis; *Quemadmodum etiam & Pictores*, vt testatur Plutarc. in vita Alexandri in princ. *Ex facie, & vultu, ex quibus elucent mores, imaginem desumunt, nec de cæteris membris laborant magnopere*; Hinc idem Martin. loc. cit. cap. 4. *Cuius ego hanc rationem inuenio. Quoniam qui corpore pulchro, id est apta membrorum constructione, & benè à natura constituto præditi sunt, ij ferè semper virtute, ac robore plus valent, quæ in deformi, & imbecillo corpore inesse non possunt*: Corn. Tacit. lib. 12. *Iulium Pelignum deformem corpore, ignaui animi facit: & hoc, opinor, causa est, cur in humanis atq; etiã sacris litteris tam sæpe virtus cum pulchritudine iungatur*: Vnde Cicero in partition. inquit: *Postea de corporis bonis dicendum, in quibus quidem, quæ Virtutem maximè significat, facillimè forma laudatur*: hinc Socrates, & ceteri Platonici amabant pulchros iuuenes, quia à pulchritudine corporis inferebant pulchritudinem Animæ. Arist. Plutar. Mart. Cornel. Tac. Cicero.

Præterea à multis excusat, & multa compensat: à multis excusat: Nam, vt notat Tiraq. loc. cit. num. 12. sicut magis est fur ille, qui minora surripit, quam qui maiora, & magis ebrius, qui quolibet vino inebriatur, quam ille, qui optimo solum, & generoso, ita magis excusatur ille, qui peccat cũ formosa, quam qui cum turpi; quatenus pulchra maiorem præbet occasionem; & vbi maior occasio, dicunt Theologi, ibi culpa minor, ergo magis excusandus est, qui peccat cum pulchra, quam qui cum deformi. Immo, & ipsa pulchritudo compensatur & cum nobilitate, & cum diuitijs; Tiraqu.

Nam, vt idem ibidem notat nu. 47. ex Bald. Imol. Abb. & presertim ex Alex. conf. 209. lib. 6. si mulier, quæ sit turpis, diues tamen, & nobilis, nubat alicui Viro pauperi, & ignobili, formoso tamen, & pulchro, non potest dici nupsisse indigno, quia pulchritudo Viri compensatur, & præponderat nobilitati, & diuitijs Mulieris: sicut è contrario si Mulier ignobilis, & pauper, formosa tamen, & pulchra, nubat alicui Viro diuiti, & ignobili, deformi tamen, & turpi, æquali dicetur nupsisse, quia sicut in præcedenti casu, pulchritudo Viri præponderat nobilitati, & diuitijs Mulieris, ita etiam in præsenti pulchritudo Mulieris debet æquiualere & diuitijs, & nobilitati Viri; & Mulierem pulchram dicit satis esse dotatam, & ad maritum afferre nouam Animi indolem, pulchritudinis gratiam, & floris rudimentum, iuxta illud Ouid.

Ouid. *Dos est sua forma puellis.*

Plutar. Athenæ. Hinc narrat Athenæus in Cęnis lib. 13. nu. 281. & Plutar. de liber. educan. in princ. Archidamum Regem ab Ephoris fuisse mulctatum, quod cum hinc formosam mulierem spectasset, illinc deformem, sed diuitem, ad diuitem potius, quam ad formosam inclinasset, quod Regulos potius, quã Reges Spartiatis velle generare videret: Econtra verò Ale-

Isocrat. xander siue Paris Priami filius, qui, vt refert Isocrates in Helen. laud. cum orta esset lis inter Deas de præstantia formæ, ac iudex ipse electus, Iunone Regnum Asiæ, Minerua victoriã in bellis, Venere Helenam pollicente, Helenã cęteris omnibus antepo suit; nec amentiæ dãnandus, aut vllo pacto redarguendus, sed magis illi reprænhendẽdi sunt, qui eum male sibi consuluisse existimant, si cum sciret eas de

forma

forma contendere, formam spreuisset, nec id maximum donum existimasset, quod ab illis quoque maximi fieri videret, & quis coniugium Helenæ aspernatus fuisset, qua rapta Græci non secus ac si tota Græcia vastata fuisset, indignati sunt, & Barbari ita superbierunt, quasi res omnes superassent? O fortunatum, cui primum ex mortalibus Dearum iudicem esse contigit: ô quale iudicium de eo est faciendum, cui tales Deæ tantum detulerunt, vt eum in tãto discrimine iudicem eligerent, quas non minus de iudice deligendo, quam de re ipsa tota solicitas fuisse, clarissimè constat.

De potentia pulchritudinis. Artic. 4.

POtentia tamen, & vis ipsius pulchritudinis si non superat, saltem omnino adæquat & præstantiam, & commodum illius. Vnde Carnead. prout refert Laert. in vita Arist. dicebat, pulchritudinem esse: *Regnum sine satellitio*; quia formosi quicquid volunt, etiamsi non petant, sine vlla vi tamen, & conatu facillime impetrant: Vndè Tiraqu. loc. citat. num. 61. refert, quod cum Phyrne Meretrix: (Cui ob præstantiam pulchritudinis statuam auream erexit Praxiteles sculptor egregius, apud Delphos, teste Plutarc. in lib. de Alexand. Virtut. & fort. ora. 2. & in lib. de Pythiæ oraculis, & Athen. lib. 13. nu. 292: in iudicio Atheniensi fuisset accusata cuiusdam grauis delicti, & patrocinio Hyperidis tunc temporis Oratoris grauissimi defendi nõ posset, tandem sola, & sine Patrono coram Magistratu cõparuit, & vestem à pectore vsque ad pedes deduxit, nudamq; se totam spectandã præbuit. Obstupuerunt Iudices illius pul-

Isocrat. *Laert.* *Plutar.* *Athen.*

chritudinem, ac factum mirati: illam statim impunè dimisserunt, cum antea nunquam potuisset absolui tutela, ac patrocinio disertissimi Oratoris: plus potuit pulchritudo, quã omnis Rethoricæ artis industria, plus potuit ipsa tacendo, quam Orator loquendo, & plus ipsa nudando occulta, quã iste palliando delictum, quod fortè erat manifestum: hinç Bonarel. Doctissimus Bonarellus de dubl. Amor. Cel. p. 2. cap. 1. particul. 5. dicit, quod cum Menelaus iam vltus esset iniuriam à Troianis sibi illatam, in ipsamq; Helenam postea iã stricto ense vlcisci vellet, ac illam occidere, vt illam vidit, ac formam fuisset contemplatus, è manibus statim cecidit gladius homicida: & quamuis dicat, hoc non euenisse ob vim, & potentiam pulchritudinis, sed ob diuinum quendam splendorem in eius vultu relucentem, tamen idẽ est, ac si dicat cecidisse ob vim, & potentiam formæ, quia forma, & pulchritudo ex senten. Platonic. iuxta quorum placi- Platon. ta ibi ipse discurrit, nil aliud est, quam summi boni, ac diuinæ lucis splendor, vt infra latius videbimus, cum de pulchritudinis definitione verba faciemus; & ideo vis illius splendoris nil aliud est, quam vis, & potentia pulchritudinis. Vnde & inter fragmenta Stesichori poetæ vetustissimi ex Scholijs in Eurip. habentur ista verba: *Stesichorus de ijs, qui Helenam lapidibus obruturi erant, dicit; eos, simulatque eius vultum intuiti essent, demisisse lapides in Terram*; quod certe non est sine admiratione pensandum: Nam tantum exercitum congesserant, tot prelia, tot mortes, tot pericula per tot annos substinuerant, vt forte iniuriam solam illatam vindicarẽt (licet nonnulli contrarium asserant) & postea ex vno solo visu immobilis pulchritudinis, iras, & arma

ma deponunt, mitescunt, Adulteræ, causæq; malorum suauiter coacti iniuriam, ac pœnam indulgent: tota potentia Troianorum, ac Asia tota eorum iræ, & odio resistere non valuit, & postea vis, & potentia pulchritudinis inermis vnius tantum mulieris resistit, vim facit, ac vincit; illa, eadēque mulier, quæ fuerat causa malorum, victorum, ac vincentium ruina, vicit & victores, & victos; Nam græci post decennale bellum, post multa pericula, multo quoq; proprio effuso sanguine Troianorum solum vires tandem superarunt, at animum, ac fortitudinem nunquam superare potuerunt; victiq; viribus, sed animo semper inuicti tandem occubuerunt Phrygij: at Helena vi solius tantum pulchritudinis, solumq; conspecta & Troianorum, & Græcorum, victorum, ac vincentium vires tam animi, quā corporis statim sola, ac facile superauit. Adhuc tamen est mirabilior vis, & potentia illius, quod manens immobilis omnia trahit, omnia rapit: Cœteræ namq; nostræ Virtutes, & potentiæ, vt prudentia, fortitudo, liberalitas, si non moueãtur, & vt ita dicam, operentur, & cooperentur, non cognoscuntur, nec apparent: pulchritudo autem, etiam si nō moueatur, & nihil videatur facere, facit tamen omnia, omnia penetrat, & per oculos animos, & corda furatur Amantiū, vt iure optimo dixerit Theoph. *Eam esse tacitam deceptionem,* dicerem ego silentium loquax, & silentem loquacitatem, quia tacendo, & nihil faciendo, omnia tamen facit, & loquitur. Quemadmodū etiam & Stobæus de laudibus pulchritudinis, ser. 63. vol. 1. *Cætera. n. bona in homine sita, ut fortitudo, prudentia latere possunt, nisi opere aliquo demonstrentur, pulchritudo autem latere nullo modo potest: statim enim* Theoph. Stobæus.

in possidente apparet; aut etiam à principio celerem sui sensum exhibet, vt illi omnino conuenire possit illud Boet.

Boet. *Stabilisq; manens, das cuncta moueri.*

Ergo ipsa fortitudine fortior est ipsa pulchritudo; hinc nō sine ratione diximus supra; desiderium pulchri esse quodammodo violentum, quia illi non potest resisti, & non

Plato. potest non amari; hinc Plato in Phędro dicit pulchrum

Proc. ita fuisse appellatum à prouocando, & permulcendo intuētes; quod etiam testatur Procul. in lib. de Anim. & Demon. Cœteræ Virtutes, & cœteræ potentiæ non agunt nisi in

Ios. Lāg. proximiora, & viciniora; & ignis, vt refert Ioseph. Lang.

Xenoph. in sua noua Polyanth. verbo pulchritudo, & Xenoph. tangentes solum vrit, pulchritudo autem etiam longè distantes inflammat: hinc Martinus de Roa lib. 5. sing. capitu. 3.

Martin de Roa. *Pulchritudinis tanta uis est, vt concepta oculis, atq; auribus mirabiles sui Amores in hominum animis excitet: vt non ab re Xenophon à pulchris oculos monuerit auertendos, quod ignis vrat quidem homines, qui illum tractant, at formosi eos etiam accendant, qui procul spectant, vt propter Amorem æstuent: eoq; pulchros distare à robustis aiebat Xenophon; quod robustum necesse sit laborare, si velit bona acquirere, fortem periculis se obijcere, sapientem oratione vti: at pulchrum vel etiam in summo otio omnia conficere: hanc autem vim tam magnam esse creditum est, vt Græci Authores dolere illis oculos dicerent, qui rem pulchram aspicerent.* Vnde & sequenti capit. 4. late probat tum in sacris, tum etiam in profanis pulchritudinem accipi pro ipsa fortitudine. Stobęus in Vituper. Vener. & Amor. ser. 62. vol. 1. ex eodem Xenophon: *An ignoras istud animal, quod*

Stobęus. *pulchrum, & formosum appellant, vel hoc nomine phalangijs esse*

se terribilius, quod hæc tactu solum, illud vero etsi non tangat, sed si quis ipsum aspexerit solum, immittit aliquid etiã eminus eiusmodi, quod insaniam ciere possit; fortassis & Cupidines idcirco sagittarij dicuntur, quoniam speciosi à longinquo etiam vulnerant: proinde consulo tibi, vt cùm formosum aliquem videris, fugias quantum potes, itaut ne respicias quidem; hinc & Isocrates in Helen. Laud. comparans Herculem cum Helena dicit, hanc eo fuisse præstantiorem, ibi: *Et quamuis Alcmenæ filium maximi fecerit Iupiter, tantò plus tamen honoris* Helenæ *tribuit, vt illi robur dederit, quod vi cæteros omnes vincere potest, huic pulchritudinẽ attribuerit, quæ ipsi robori solet imperare*: Et quis non nouit Alcibiadis pulchritudinem? cuius tantus erat decor, & potentia, vt quemadmodum inquit Plutarc. in vit. illius, vel quisquis alius sit, qui vitam illius conscripsit: *Viris sæpe vxores, & vxoribus sæpe maritos auferret, ac furaretur*, vt propterea vtrique sexui dominari, & liberè imperare videretur: hinc Tiraq. loc. cit. nume. 11. & sequ. propter maximam potentiam illius eam dicit esse ignem, calorem, facem, fornacem acutiorem, at velociorem sagitta: & quidẽ nihil est quod magis, ac citius homines ad Cupidinis amplexus prouocet, accendat, incitet, quam forma corporis, decor oris, species, & pulchritudo; Immo & ipsi Dij ob vim, & potentiam illius ad insaniam sępe deuenerunt. Vndè Athenæus lib. 13. num. 281. de pulchritudine loquens ait: *Ob pulchritudinem Iupiter nunc per tegulas Aurum fluit, nunc Taurus mugit, nunc Aquila pennis volat, nunc Ignis propè Aeginam lucet*, & Isocrates in Helenæ laud. *Et quid opus est humanis opinionibus recensendis immorari? cum Iupiter opt. max. in alijs potentiam suam demonstret, ad pulchritudinẽ ve*

Isocrat.

Plutarc.

Tiraq.

Athen.

Isocrat.

ro humili persona suscepta accedendum esse censeat? Amphytrioni enim factus similis ad Alcmenam venit: in aureum imbrem mutatus cum Danae congressus est: Oloris figura in sinum Nemeseos confugit: atque iterum eiusdem auis speciem cum haberet Ladam sibi despondit: Denique semper arte quapiam, nunquam vi tales naturas eum consectatum esse constat.

At quis vnquam erit adeo fęlix, & fortunatus, qui rei nũquam satis laudatæ valeat laudes omnes recensere? Pro laudibus igitur ipsius pulchritudinis sufficiat referre vitam, quæ sicut omnes alias facile superat, ita ex ea sola omnes ferè aliæ cognosci poterunt. Nullum vnquam fuit atrocius, ferocius, ac bellum magis sanguinolentum, & perniciosum bello Troiano; & tamen non propter aliud pugnabãt, nisi propter solam Helenæ pulchritudinem: Nam, vt notat idem Tiraq. loc. cit. nu. 32. & 41. non pugnabant Gręci, vt vlciscerentur iniuriam, & raptum Helenæ, quia iurauerant, se restituta Helena, bellum dimissuros. Vnde, vt notat Liuius in primoribus verbis, è Troianis in communi clade soli Anthenor, & Æneas euaserunt incolumes, quia illis conniuentibus saltem, vt dici solet, oculis, Achiui pepercerunt, tanquam illis: *Qui pacis, reddendæ Helenæ semper Authores fuerant*, ergo nõ propter iniuriam. similiter Troiani non pugnabant, vt viderentur Græcis resistere, & ne, si Helenam restituissent, eam vi, & metu restituisse viderẽtur, sed quia tanti vtrique faciebant pulchritudinem illius, vt de illius sola possessione certarent: potius volebant Gręci recuperare Helenam iam stupratam, & violatam, quam iniuriam vindicare, & magis illius possessionem, quã proprium honorem, & existimationem faciebant: è contra

Troiani

Troiani maluerunt per decennium bellum intra proprios confines substinere, quam Helenam iam violatam reddere eam magis, quam ruinam, & conseruationem Regni facientes: propter pulchritudinem vnius tantum Mulieris posuerunt isti duo exercitus totam Asiam, & Europam in euidentissimo discrimine, & facili tamen negotio poterãt vtriq; tot malis obuiare, si vel Troiani Helenam reddidissent, vel Greci eam illis permisissent, & tamen neutri sibi ipsis consulere voluerunt existimantes, nullam aliam pulchriorem belli causam, ob quam morerentur, inueniri posse, quam pulchritudinem illius.

Et quòd adhuc est mirabilius, Dij illius temporis pro alijs rebus semper pugnabant concordes, pro pulchritudine Helenæ contrarias inter se acies instruxerunt, ac proprios filios in eo bello mori passi sunt existimantes, nõ minorem illis gloriam obuenire, si pro Helena oppetijssent, quam quod Deorum filij fuissent procreati: refert igitur ibi de hac re Tiraq. sententiam Lucian. his verbis: *Europa tunc primum contra Asiam bello concitata, cum Troiani possent Helena reddita, sine periculo, ac metu Terram suam retinere. Græci autem hanc illis habendam permittentes molestia liberari; neutri consulere sibi ipsis voluerunt rati, non aliam pulchriorem belli causam, ob quam morerentur, inuenire se posse. Iam vero & Dij, cum certo scirent liberos suos in eodem bello perituros esse, nequaquam illos ab eo absterruerunt; sed ad id vltro proficisci fecerunt rati, non minorem inde gloriam consequuturos esse eos, si pro Helena mortem obijssent, quam quod Deorum filij procreati essent: quo satis argumento quid aliud manifestius, aut clarius esse* Tiraq.

I *potest,*

potest, quanto etiam ipsis Dijs iudicibus cæteras mortalium res omnes antecellat pulchritudo? Nam cum pro aliarum quidem rerum nunquam vlla ullo modo inter se discordes fuerint, pro pulchritudine autem non solum filios suos in mortem obtulerint, sed ipsi inter se dimicarint, nonnulli quoque vulnerati fuerint: an nō omnibus adeo calculis censuerunt pulchritudinem cæteris rebus vniuersis anteponendam esse? Item ex Isócrat. *Grauius pro*

Isocrat. *Helena Dij immortales pugnauerunt, quam cum aduersus Gigantes prælium commiserunt: Nam cum Gigantibus concordes, & inter se coniuncti simul, & vnanimiter pugnas inierunt, pro Helena vero contrarias inter se acies instruxerunt, & aduersis telis alter alterum petiuerunt: quæ cum ita sint; & illi merito eo fuerunt animo, & ego eam tantis laudibus cumulare possum, & debeo: maximam enim partem habuit pulchritudinis, dignissimam, pretiosissimam, augustissimam denique omnium rerum existimauerunt*; licet diuerso modo reperiantur conuersa ex versione Hieronymi Vuolfij in operibus Isocratis. & Athenæus lib. 13. num. 281. de pulchritudine Helenæ lo-

Athenę quens refert ex Homero: *Haud reprehendendum, quod Troiani, & armis conspicui Achiui pro hac fœmina labores diu perpetiantur:*

Deabus prorsus immortalibus similis est.

Et paulo supra num. 276. inquit: *Helenam certè vxorem uidetur Spartiata reueritus, cuius gratia tātum exercitum cōegerat, ab aliarum fœminarum congressu abstinuisse*; Ex quibus patet, nunquam esse satis laudatas laudes ipsius pulchritudinis; eam enim talem, ac tantam venustatem, & amabilitatem rebus omnibus tribuit, vt per pulchritudinem omnia reuiuiscere videantur. Vnde Proc. in lib. de Anima. & Demon.

inquit:

inquit: *Post enim vnicum, primumq́; Amoris principium, atq; post tripartitam substantiam inde profectam iam turba refulget Amorũ: Vnde Chori Angelorum implentur Amore, Turbæ quin etiam Dæmonum hoc plenæ Deo sectantur Deos ad intelligibilem pulchritudinem reuocatos: Exercitus Heroum vnà cum Dæmonibus, & Angelis circa pulchritudinem debacchantur; omnia denique suscitantur, reuiuiscunt, incalescunt circa pulchritudinis ipsius influxum.* Sed tandem cessemus à laudibus illius, ac pro adæquato, eiusq́; vniuersali præconio sufficiat, eam nunquam satis posse laudari; cum præsertim nunc munus à nobis susceptum sit, eam physicè, non rethoricè considerare. Proc.

Quid sit pulchritudo, opinio multorum. Artic. 5.

PRo cuius recta, vt iam recto ordine procedamus, ac ordinata consideratione, hæc principaliter inuestigare conabor. Primo quid sit. Secundo an pulchrum, vel potius bonum sit obiectum Amoris. Et Tertio, cum dicatur consistere tam in debita proportione, quam in debito colore, non erit iniucundum quærere, an in Amore plus valeat debita proportio, an debitus color: has solum quæstiones nunc examinabo; Nam duas alias, an pulchritudo sit eadẽ cum gratia, vel distincta, & num plus possit gratia, an pulchritudo, satis abundè, ni fallor, tractaui in præcedenti capite de gratia; nõ te pigeat quęso, Amantissime Lector; Nã si, vt inquit Arist. in 1. de Anima in princ. vna scientia dicitur nobilior altera ratione nobilitatis subiecti, cum nũc subiectum sit ipsa pulchritudo, non nisi pulchra poterit esse eius consideratio: & consequenter etiam non nisi grata, & amabilis, nec vllo pacto tædiosa; Nã pulchra sunt ama- Arist.

bilia: *Et quæ sunt pulchra, necesse est vt sint etiam dulcia* ex sententia Arist. 7. Eudem. c. 4. *& pulchra*, vt inquit Flaccus de Art. Poet. *Decies repetita placebunt*, & Plat. in Phileb. inquit: *Præclarum esse prouerbium pulchra bis, & ter esse repetenda*, & Plutar. in lib. Non posse suauiter viui, refert. Empedoclis sententiam, quod

Flacc. Plat. Plutar.

Quæ sunt pulchra, iterum, atq; iterum est audire necesse.

Ad primum igitur, quid sit pulchritudo, Laert. in vit. Aristot. varias refert variorum hominum sententias: dicit enim ex Arist. *Eam esse donum formæ*; ex Socrat. *Esse modici temporis Tyrãnidem*: Ex Platone. *Esse naturæ Priuilegium*: Ex Theophrast. *Tacitam deceptionem*: Ex Theocrito: *Eburneum detrimentum*: Ex Carnead. *Regnum sine satellitio*, prout etiam habetur in annotat. Dialog. Lucian. de domo: Piccol. in lib. de defin. rer. dicit ex Pico: *Eam esse amicam inimicitiam, & discordem concordiam*: quatenus est congruens variorum dispositio, eam dicit: *Tyrannidem Animorũ, venustatem animi*. Ex Iamblic. *Esse actum boni, actum vitalem, & blandam boni faciem*. Stobæus de laud. pulchritud. ser. 63. vol. 1. definit ex Plutarc. quod *pulchritudo sit opus animæ gratificantis corpori decus formæ*. Tiraqu. loc. cit. nu. 11. & seq. dicit ex multis, eam esse ignem, facem, fornacem, calorem, Amoris atq; libidinis uoluptificum, suauissimumque incitamentum, illectamentum, irritamentum, incitamentum, acutiorem, & velociorem sagitta; & nu. 61. esse tacitam, seu silentem fraudem; quia etiam sine verbis, & solo silentio persuadeat. Dicerem ego, eam esse silentiũ loquax, & silẽtem loquacitatem; esse Regnum absq; satellitio, quia formosi quicquid volunt, etiamsi non petant, solo silentio,

Laert. Plat. Piccol. Stobæus. Tiraqu.

quibus

quibus satis est, vt videantur, & facile impetrant, quemadmodum etiam inquit Tibullus lib. 1. Eleg. 9. quod forma nõ indiget Arte Magica, quia ex se ipsa sola impetrat, quicquid vult ibi:

Forma nihil magicis vtitur auxilijs.

Ioseph Lang. in sua noua Polyanth. verbo Forma, & verbo Pulchritudo dicit ex sententia Zenon. Cittici: *Formam esse vocis florem*, vel vt alijs magis placet, *vocem esse florem formæ*, quatenus orationem loquentis forma, & formam oratio maximè commendat. Ita ut orationem forma faciat gratiosiorem, & oratio formã reddat amabiliorem, sicut inquit Virgil. in quarto Aeneidos, quod:

Gratior est pulchro veniens in corpore virtus. Virgil.

Quid sit pulchritudo, opinio Platonis. Artic. 6.

SEd, vt verum fatear, istæ sunt potius epitheta, attributa, & similitudines, quam veræ, & propriæ definitiones. Ideo pro veriori, & magis Physica eius definitione inuenienda prænotandum est, duo prima humanæ sapientię lumina inter se nec etiam de hac re conuenire: vt enim eorum diuersa sunt principia, & fines diuersi, ita etiam eorũ diuersa est methodus, & diuersa philosophia: Plato enim à diuinis descendit ad mortalia, & à mortalibus ad diuina reuertitur: Vnde cum à diuinis ad diuina per mortalia diuinũ faciat circulum, diuini etiam Platonis nomen est sortitus: Arist. autem cum mortalia solum, ac naturalia magis, ac principaliter cõsideret, à sensibilibus solũ eleuatur, & rationes naturales, & necessario solũ cõcludentes rimatur, ac probat; & q̃a est pulchra de ipsa pulchritudine diuini Plat. senten-

ſententia eā breuiſsime, & pro viribus explicare conabor.
Exiſtimat itaque Plato, prout declarat Marſil. in Hippia, in Sympoſ. orat. 2. cap. 1. 2. 3. 4. 5. Piccol. in lib. de definit. rerum, cap. de pulchritudine, & in 8. grad. Moral. philoſoph. cap. 34. & Teupol. lib. 1. Acad. contempl. cap. 6. ipſum pulchrum eſſe adeò cum ipſo vno, & cum ipſo bono coniunctum, vt ſicut Deus eſt ſummè bonus, & ſummè vnus, ita etiam ſit ſummè pulcher: immo quòd ſicut Deus eſt ipſum vnum, & ipſum bonum, ita etiam ſit ipſum pulchrum, & quod non differant realiter iſta tria, vnum, bonum, & pulchrum, ſed ſint vnum, & idem, vnaq; & eadem ſit horum eſſentia, & idea, ſolùm differant ratione, & ſolà operatione noſtri intellectus: in concreto, & in ipſo Deo ſunt vnum, & idem, & ipſemet Deus; & ſicut omne pulchrum eſt etiam vnum, & bonum, ita etiam omne bonū eſt vnum, & pulchrum, & omne vnum pulchrum etiam, & bonum: in abſtracto vero, & ratione differunt, quia vniuſcuiuſq; datur propria, & diſtincta definitio, & vnitas, non eſt pulchritudo, nec pulchritudo bonitas, nec bonitas vnitas: Deus autem, quia hæc omnia in ſe eminentiſsime continet, eſt ipſa pulchritudo, ipſa Vnitas, & ipſa bonitas: quatenus omnia dulciſſimo nodo ligat, & vnit, eſt ipſum vnum, & ipſa vnitas: quatenus creat, & perficit, eſt ipſum bonum, & ipſa bonitas: quatenus tādem omnia per ipſam vnionem, & bonitatem ad ſe trahit, inuitat, & allicit, eſt ipſum pulchrum, & ipſa pulchritudo: vt vnus, omnia fœliciſſime ligat, vt pulcher, Amorem, & deſiderium generat; vt bonus, deſideria explet, Amoremq; non extinguit, ſed perficit: vt bonus, omnia creat, vt pulcher, omnia rapit, vt vn⁹, omnia

Marſil. Piccol. Teupol.

omnia perficit: sic dixit Orpheus: *Omnium rerum Deum esse principium, medium, & finem*: principium, vt producit; medium, vt trahit, & finem, vt perficit; & sicut omnia in primis ab illo rerum omnium fonte effluunt, dum nascuntur, ita etiam omnia ad eundem refluunt, dum suam originem per media congruentia reposcunt. Orpheus.

Et quia in vnoquoque genere necesse est dari vnũ primum, quod sit causa cœterorum, & à quo omnia cętera pẽdeant; in genere calidorum vnum, quod sit primum calidum, & causa caloris; in genere frigidorum, vnum, quod sit primum frigidum, & causa frigoris, ita etiam in genere pulchrorum dari necesse est vnum primum, quod sit causa totius pulchritudinis, & à quo cętera omnia dicantur pulchra: propterea Deus sicut est primum bonum, & primũ vnum, summum bonum; & summum vnum, ita est primum pulchrũ, & summũ pulchrum; & quia bonitas, & vnitas, quæ in rebus inferioribus reperitur, dicitur solũ vmbra, splendor, & participatio illius summæ bonitatis, & vnitatis, ita etiam pulchritudo, quæ in his corporibus refulgere videtur, nil aliud est, quam splendor quidam, & participatio illius summæ pulchritudinis: *Solus enim Deus*, vt inquit Plato in Epist. ad Dionys. Regem, *est fons, & principiũ totius pulchritudinis, & omnium pulchrorum causa*: Et quia pulchritudo nõ potest percipi, nisi à præditis facultate cognoscente, & discurrente à proportione partium, tam vnius ad alteram, quam omnium simul ad totum: bonitas enim cognoscitur etiam à carentibus anima discursiua, & vnitas etiam à carentibus totali anima: nam Terra, Aer, & Aqua amant propriam vnitatem, & bruta omnia cognoscunt Plato.

vnum-

vnumquodq; suum, & sibi peculiare bonum: inter facultates autem cognoscentes, nobiliores, puriores, & simpliciores sint intellectus, visus, & auditus, ac præsertim triplex sit pulchritudo, animorum, corporis, & vocis, ac tribus præsertim modis percipi possit, per mentem, visum, & auditum; per mentem cognoscitur pulchritudo animi, per visum pulchritudo corporis, & per auditum pulchritudo vocis; ac voluptas, & delectatio, quæ ex obiectis percipi possit, purior, & simplicior sit illa, quæ percipitur per mentē, visum; & auditum, aliæ enim voluptates sunt multum similes voluptatibus Brutorum, honestam autē, & solum puram laudat Plato; propterea dicit, quod uera pulchritudo tribus præsertim modis percipi potest, per mē tem primo, secundo per visum, & tertio per auditum.

Plat.

Ex quibus omnibus tandem Marsil. in Hippia duas colligit definitiones pulchritudinis in unam facile recidētes, & parum inter se differentes: dicit enim primo: *Pulchritudo est summi boni splendor fulgens in ijs, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur, perq; illa ad ipsum bonum visum, auditum, mētemq; conuertens:* secundo, *Pulchritudo est circulus quidam diuinæ lucis à bono manans, in bono residens, & ad bonum sempiternè reflexus*. Hęc est sententia Plat. de pulchritudine, & ut uides, magis mysteriosa, & pulchra, quam physica.

Marsil.

Quid sit pulchritudo opinio Peripateticorum. Artic. 7.

AT qui Peripateticis magis adhærent, & qui res magis physicè considerant, alias afferunt pulchritudinis definitiones; immo & ipsemet Arist. in 1. Reth. cap. 5. uario modo illam describit his uerbis: *Pulchritudo autem alia*

Arist.

in alia

in alia ætate est: Nam Iuuenis pulcher est, cui commodum ad subeundos, & cursus, & violentiæ labores corpus est, aspectuq; insuper iucundum. quocirca Pentatli formosissimi sunt, cum & ad vim, & ad velocitatem simul præstantissimi sunt. Vir vero pulcher est, qui, & labores bellicos sustinere queat; & ita iucundus aspectu est, vt simul quoque dum videatur, terreat: Senex autem, cuius ad necessarios labores corpus satisfacit, cumq; nihil eorum habeat, quæ senectus infert. incommoda; facile sine dolore conuersatur: Sed hic Arist. non considerat pulchritudinem in se, & absolute, sed solum per relationem ad fœlicitatem, & ad vitam beatam, & potius bonum, & fœlicem corporis habitum, & bonam dispositionem, quam verè, & propriè pulchritudinem; prout etiam patebit consideranti principium illius Capituli.

Interpretes autem illius adhuc variam definitionē tradidere. Nam Auero. in 7. Phys. Tex. 17. prout declarat, & refert Piccol. in lib. de defin. rer. & in 8. grad. Moral. philos. cap. 35. dicebat: *Pulchritudo est proportio inter membra media, & extrema:* Item *est dispositio rei secundum cursum suæ naturæ.* Item *est constitutio formæ rei genitæ, quam recipit à generante per relationem ad nobilissimum suæ speciei.* Alij dicunt: *Eam esse commensurationem partium inter se, & ad totum, cū debito colore:* Sic dicit D. August. in Epist. 151. ad Nebrid. & 22. lib. de Ciuit. Dei, cap. 19. *Pulchritudo corporis est congruentia partium cum quadam suauitate coloris*; & D. Thom. in 1. par. quæst. 5. art. 4. & ad primum, & 2. 2. q. 145. art. 2. in corp. dicit: *Quod pulchritudo corporis in hoc consistit, quod homo habeat membra corporis benè proportionata, cum quadam debiti coloris claritate*; & hæc certè est satis bona definitio, &

Auero. Piccol. D. Aug. D. Tho.

Piccol. probabilis. Piccol. autem definit, *quod sit externa corporum perfectio dissimilium partium, ex earum congruente ordine, mensura, & terminis consurgens, oculis aspicientium accommodata.*

Sed meo iudicio, istæ definitiones aliæ sunt nimis generales, aliæ nimis strictæ, & aliæ imperfectæ, & defectiuæ. Nam pulchritudo non est vna in omnibus, sed varia in varijs, & diuersa in diuersis, alia enim consistit in colore solum, alia in proportione; alia in magnitudine, alia in paruitate, alia demũ in vtroque; sed magis in vno quam in alio: pulchritudo enim v.g. electis, aquæ, & vini consistit solum in colore: pulchritudo domus in sola proportione, & magnitudine: pulchritudo gemmarum in colore, & magnitudine: Catulorum quorundam in colore, paruitate, & proportione: Hominis, & multorum animalium in proportione, colore, & magnitudine. Propterea cum nunc tractemus de pulchritudine per relationem ad Amorem humanum, & sensitiuum, debemus inuestigare definitionem illius pulchritudinis, quæ talem Amorem excitare sit apta.

Dico igitur, saluo tamen semper meliori iudicio, pulchritudo est debita tam inter se, quam cum ipso toto, partium proportio, cum debita; respectu cuiusque, magnitudine, & debito colore, Animos aspicientium maxime alliciens, ac sui ipsius Amorem in illis accendens; *est debita partium inter se, & cum ipso toto proportio*; Nam quamuis Theupol. Theupol. lib. 1. Acad. contempl. cap. 6. dicat, pulchritudinem etiam corporalem, nec esse proportionẽ, nec in proportione consistere, sed esse potius illud, quod ex proporArist. tione resultat, & in proportione refulget, tamẽ dicit Arist.

in 13.

in 13. Metaph. cap. 3. in fin. quod ordo commensuratio, & definitum sunt species, & partes ipsius pulchritudinis: & D. Thom. & D. August. vt modo diximus, dicunt, quod pulchritudo in proportione consistit: & Plato in Phileb. *quod moderatio, & commensuratio vbiq; sit pulchritudo:* & Marsil. in Sympos. orat. 1. cap. 4. & in Charmid. dicit, quod pulchritudo in concinnitate cõsistit; & quod sicut ex temperie habituum, & passionum in Anima oritur virtus, ex temperie humorum in corpore sanitas, ex temperie vocum consonantia, ex temperie, & consonantia rei cum ipso intellectu veritas: ita etiam ex temperie, & consonantia linearum, & colorum oritur ipsa pulchritudo; vt non iniuria dixerit Pythagoras: *Temperantiam esse omnium rerum virtutem, ac humanæ societatis salutarẽ conseruatricem.* Vnde, & ibidem Plato ab ipsa pulchritudine exorditur sermonem de Temperantia, quia pulchritudo nil aliud est, quam temperantia quædam, consonantia, moderatio, temperies, congruentia, & proportio linearũ, & colorum. Dixi, *cum debita cuiusq; magnitudine,* Nam dicit Arist. in 4. Moral. Nicom. cap. 3. in principio, *quod parui, elegantes, & concinni, non autem pulchri dicuntur,* quia ipse ad veram pulchritudinem requirit etiam debitam magnitudinem: dixi, *cum debita cuiusq;*, quia sicut dicit idem Arist. in 1. Rethor. cap. 5. *pulchritudo alia in alia ætate est*, ita etiam magnitudo, & color ad instar vestis, vario modo requiruntur in varijs, secundum communem hominum opinionem, & communem vsum loquendi: hunc enim Amorem tam generat Puer erga Puellam, quam Puella erga Puerum, & Mulier erga Virum, & Vir erga Mulierem; & alia requi-

D. Tho. & D. August. *Plat.* *Marsil.* *Pythag.* *Arist.*

ritur magnitudo in Puero, & alia in Viro, & alia in Puella, & alia in Muliere, propterea apposui illam particulam, *cuiusque*, vt denotarem debitam, & proportionatam cuiusque magnitudinem, iuxta varium statum, ætatem, & sexum: *debito colore*, tam respectu partium, quam respectu ætatis, & sexus, quia alius requiritur in facie, alius in ore, alius in Puero, alius in adulto, & alius in Viro, & alius in Muliere, *Animos aspicientium maxime alliciens, ac sui ipsius Amorem in illis accendens*; quia hoc est proprium ipsius pulchritudinis, *vt maxime omnium, & perspicua sit, & amabilis*, vt inquit Plato in Phedro, & necessario pariat Amorem: hinc in Annotat. Dialog. Lucian. de
Lucian. domo dicitur, *quæ pulchra sunt, habere eam vim, vt statim conspecta, omnium sibi voluntatem concilient, Amoremq; adiungunt*: & ibidem Lucian. inquit, *maximam enim alliciendi vim habet aspectus pulchrorum*; sicut dicit Athen. in
Athen. Cenis lib. 13. num. 301. *nihil magis oblectare oculos, quam for-*
Isocrat. Stobæus. *mosam mulierem*: & Isocr. in Helen. laud. *pulchrorum Amor natura nobis est insitus, ac ijs quidem, qui vel sapientia, vel alia quapiam facultate præcelluerunt, inuidemus, nisi nos, quotidianis beneficijs alliciant, & sui Amorem quasi extorqueant, formosis autem è primo statim aspectu beneuolentia coniungimur, & solos eos quasi Deos colendo non defatigamur, sed libentius eis inseruimus, quam alijs imperamus, maioremq; illis gratiam habemus, si multa imperent, quam si nihil imperent*. & Stobæus de laud. pulchrit. serm. 63. vol. 1. *bonis quidem plurimi inuident, & inimici redduntur, pulchritudo autē eos, qui ipsam sentiunt, amicos reddit, et neminem inimicum sibi fieri permittit*; quod etiam diximus nos supra in principio huius capituli; & hæc sint
satis

satis circa primum, & circa definitionem pulchritudinis.

Pro cuius ampliori cognitione adijciã ea, quæ dicit Martin. Delrij in Hippol. Senec. Act. 4. scen. 1. in fine, vbi latius exponit, in quibusnã rebus realiter cõsistat pulchritudo, his verbis, *Cicero, & alij formã, speciẽ, figurã; quæ non tam in cutis colore, aut solo vultu, ut quidẽ putant, quã in apposita statura ad dignitatẽ, & in apta, atq; decora membrorũ cõpositione, et conformatione lineamentorũ posita. Qua de re sic iudicãt Philosophi, pulchrũ tunc dici aliquẽ, cum partium ordine congruo, & debitis earum interuallis, corpus habet distinctũ, quodq; apta magnitudine constat, et vbiq; decenti colore, tractisq; decentibus lineamẽtis conformatur. Nam cũ membra situm obtinent naturalem, suoq; loco sunt aures, oculi, nares, pariq; interstitio singula collocantur, et modus accedit, qui debita proportione seruata, magnitudinẽ conuenienter disponat, tunc pulchritudo inest, in quo hæc omnia reperiuntur. Tres nasi in longũ dispositi, faciei longitudinẽ protrahunt: Vtriusq; auris semicirculi coniuncti, circularẽ oris hiatum implent: similis est superciliorum ratio: par vero labij, nasi, aurisq; magnitudo: gemini Orbes oculorũ vni sũt pares oris hiatui: Octo capita totius corporis protensionẽ cõplent, latitudinemq; parẽ in latus brachiorũ extensio facit. His oculorum splendor, partium ordo, linearũ tractus, et color aptius accedat. Hæc illa species est præstãtissima corporis, quã apud Athenæum, et Stobæum, Euripides, Aristoteles, & Isocrates, & de Saule agens, Theodorusq; Prodromus, Imperio dignã censuerunt; recte, si animi pulchritudo cõiuncta, sin, quid illa, nisi putredo, Vermium esca, Inferni paludũ? cui ista corporis pulchritudo inest, curet animum corpori æquare. Cui deest, animi ornamentis studeat se se exornare.* Vnde & Plutarc. in lib. de præcept. coniugal. refert Socratẽ suis Scolaribus præcepisse, Mart. Delr. Plutar.

vt sæpe se in speculo intuerētur, ad hoc, vt si turpis se agnoscant formæ, curent se bonis qualitatibus exornare, & ope Virtutis, Vitium naturæ corrigere; si pulchræ, conentur nihilominus, se ornare Virtute, nè in pulchro corpore turpis anima inhabitare dicatur: Et sic ope Virtutis & vitium, & donum naturæ conentur vel corrigere, vel ornare. Hinc & Stobęus in suo Florilegio de prudent. ser. 3. Stobęus. vol. 1. ex Biante, *Si pulcher videaris, pulchra facito: sin deformis, naturæ defectum morum pulchritudine pensato.*

An bonum, vel pulchrum sit magis amabile, & magis obiectum Amoris. Artic. 8.

QVoad secundum, an pulchrum, vel potius bonum, sit obiectum Amoris, non erit facilis resolutio huius difficultatis. Nam bonum, & pulchrum sunt adeo inter se coniuncta, vt propterea multi putarint esse vnum, & idem, & vtrumque pariter amabile; & ideo difficile erit inuestigare, quod nam horum sit magis amabile, & quodnam magis obiectum Amoris: verissimum enim est illud Plat. Prouerb. Plat. in Hippia in fine, *pulchra esse difficilia*, & in Cratyl. *pulchra esse difficilia cognitu.*

Ferè omnium communis opinio est, pulchrū esse obiectum Amoris, prout refert, & sequitur Bonarel. de duplici Amor. Cœl. par. 1. cap. 2. particul. 3. vbi dicit, Scolas omnes admittere, pulchrum esse obiectū Amoris; hinc Vincent. Chartar. de Deor. Antiq. Imag. de Imag. Cupid. *Congruentis autem, & humidæ formæ magnum argumentum esse potest, decora, & consentanea partium constitutio, qua Amor ex omnibus rebus haud dubie vnus præditus est: Nam deformitas,* Bonarel. Chartar.

& Amor

& Amor sempiterno quodam bello inter se decertant: quod vero hic Deus in floribus vitam agit, significat coloris pulchritudinem: in ea.n.quod floribus caret, vel defloruit, siue corpus, siue animus, siue quiduis aliud sit, Amor ipse non insidet; vbi vero floridus, & odorifer est locus, ibi & considit, & permanet. cuius opinioni, si volumus addere & rationes, & auctoritates, sic possumus suffragari: Primò ex auctoritate Plat.in Phędre, vbi dicit, quod *sola pulchritudo hanc habuit sortē, vt maximè omnium sit amabilis*; ergo etiam sola pulchritudo est maximè omnium amabilis; ergo etiam sola pulchritudo maximè omnium est obiectum Amoris; hinc Amor, secundum communem opinionem, vt etiam diximus supra cap. 1. definitur, quod *sit desiderium pulchritudinis*: & propterea non sine ratione, Amantes magis extollunt pulchritudinem Amatæ, quam alias res; modo comam auream, modo frontem serenā, modo sidereos oculos, modo os rubeum, modo genas roseas, ac ita non laudant Amatam tanquam bonam, sed solum tanquam pulchram; ergo signum est obiectum Amoris illorum esse potius Amatæ pulchritudinem, quam bonitatem illius: Propterea Mulieres, & Iuuenes etiam multi, dum volunt erga se aliorum excitare voluntatem, & appetitum, quærunt se ornare pulchritudine magis, quam bonitate; vestibus, gemmis, pingendo faciem, totum denique corpus pro viribus ornando, vt pulchriores appareant, ac magis, & facilius amentur, prout de Demetrio Phalerço Imperatore, siue Tyranno narrat Athenæus lib. 12. nu. 268. *qui formæ curiosus crinem capitis flauo colore tingeret; & faciem oblinires Acantho, vnguentisq; alijs fucaret, vt aspectu hilaris, & venustus videretur obuijs,* Plat. Athen.

qui

qui frustra laborarent, nisi pulchritudo esset obiectum Amoris; hinc ea, quæ sunt pulchriora, magis etiam amantur, & durante pulchritudine Amatæ, durat etiam Amor, ea deficiente, euanescit; & Amor, *simul enim, vt corporis flos*, vt inquit Paus. in Conuiu, *deflorescit, abit, & auolat Amor*.

Athenæus.

Paus.

Ex altera parte, quod potius bonum, quam pulchrum sit obiectum Amoris, sic potest probari; illud, quod ex intrinseca sui natura est magis amabile, iudicandum est esse magis obiectum Amoris, sed ex intrinseca natura est magis amabile bonum, quam pulchrum, ergo potius bonum, quam pulchrum est obiectum Amoris: Maior apud me non indiget probatione; Minorem autem sic probo; Nam esse amabile ingreditur definitionem ipsius boni, & non potest recte definiri bonum, nisi per amabile. Vnde Arist. in princ. Moral. inquit, *bonum est illud, quod omnia appetunt*; & in 8. Moral. Nicom. cap. 2. & lib. 9. cap. 3. inquit, *quod quisq; amat, quod est, vel quod videtur bonum, & quod non amatur, nisi bonum*; & in 7. Moral. Eudem. cap. 17. dicit, *naturalis est per cupiditatem iucundæ rei appetitus, ac natura omnia ad bonum festinant*; Et in princ. Polit. *quod omnes omnia agunt propter bonum, gratia boni, & bonum aliquod coniectant*, & 2. Magn. Moral. cap. 12. *est igitur amabile non quicquam aliud, quam per se bonum, & amabile quidem simpliciter bonum, & amabile bonum est*, & cap. 17. *omnes ad bona prosiliunt*. Et sic esse amabile est de definitione ipsius boni, non autem est de definitione pulchri, vel saltem non ita intrinsecè, ergo potius bonum, quam pulchrum est obiectum Amoris. Præterea, obiectum alicu-

Arist.

ius facultatis,& finis illius,videntur esse idem, Nam obiectum facultatis visiuæ est color; & quis nam alius est finis illius,nisi videre colorem, frui, & pasci suauitate coloris? Sicut dicit ibidem Arist. 2. Magn. Moral. 14.in multis idẽ est actio,& finis,& quod in amando finis non est alius præter actionem, sicut Tibicini idem est finis,& actio, scilicet perflare: sed bonum obtinet rationem finis Amantis:ergo etiam obtinet rationem obiecti Amoris magis,quam pulchrum; quod autem bonum sit finis, pulchrum vero potius medium, & instrumentum boni, clarè ostendunt D. Thom.prima par.5.q.5. art.4. & Piccol. in lib. de definit. rerum cap.de pulchritud.in fin. Tertio, si pulchrum esset obiectum Amoris, sequeretur hoc absurdum, quod posset reperiri Amor sine suo obiecto: quod probo sic; Nam, vt dictum est, pulchrum consistit in proportione partium, & ad partem cognoscitiuam solum pertinet; at amare possunt etiam rustici,rudes,Mulierculæ,& cęteri omnes Idiotæ,immo & Animalia etiam bruta,quæ non valent cognoscere hanc partium proportionem: ergo tunc non poterũt cognoscere pulchritudinem: ergo tunc iste Amor esset sine suo obiecto. Quarto,si bonum est illud, quod omnia amant,& appetunt: ergo omne, quod amatur, amatur vt bonum,& appetitur,vt bonum: ergo solummodo bonum amatur: ergo solum bonum est obiectum Amoris; & confirmatur ratio,quia si ipsummet pulchrum amatur, amatur tamen semper,vt bonum,non vt pulchrum;pulchrum enim est,& pulchrum,& est etiam bonũ; & quando amatur, amatur solum, vt bonum, quia non potest appeti, & amari,nisi bonum: ergo solũ bonum est obiectum Amo-

Arist.

D. Tho. Piccol.

D. Tho. ris: hinc D.Thom.2.2.quæst.145.art.2. ad primum inquit: *quod obiectum mouens appetitum, est bonum apprehensum: quod autem in ipsa apprehensione apparet decorum, accipitur, vt conueniens, & vt bonum*: & in par.2.q.27.art.1. hoc solum probare nititur, solum bonum esse propriũ obiectum Amoris, vt ibi videre poteris, si licet. Præterea, experientia, quæ dicitur efficax rerum magistra, quotidiè nobis ostendit, Amorem reperiri etiam, vbi non adest, & vbi non reperitur pulchrum; Nam quot sunt illi Amantes, qui cognoscunt suas Amatas esse turpes, vel saltem nō pulchras, & hoc se cognoscere sæpe fatentur, & tamen amant, & ardentissime amant? quot sunt, qui suas Amatas amant, etiam postquam factæ sunt, vel natura, vel casu deformes? & tamen hoc clarè sciunt, & clarè cognoscunt, & tamen amant: erit ne ergo tunc pulchrum obiectũ Amoris? quodnam pulchrum, si Amata est deformis? & vbi nā pulchrum, si iam pulchrum euanuit, & Stobæus de Vener. Stobæus. & Amor.serm.61.vol.1.

Quid nugaris, ac putas formam esse faciei, quæ capiat Amātes? certè si id fieret,
Omnes eandem amarent. idem enim oculorum iudicium est:
Voluptas ergo quædam Amantes allicit
Congrediendi.

Vbi per formam, pulchritudinem, & per voluptatem, bonum intelligit: concludit ergo, voluptas est, non pulchritudo, quæ trahit Amantes, ergo bonum, non pulchrum est obiectum Amoris.

Piccol. Hinc Piccol.in rebus tam Plat.quam Aristot.versatissimus,

mus, hęc de natura boni, & pulchri asserit in lib. de definit. rerum cap. de pulchritud. *Appetitus boni est communior, & intimior appetitu pulchri; omnia enim appetunt bonum, etiã inanima, & expertia rationis, non autem omnia appetunt pulchrũ, sed solum prædita cognitione, & ratione; Nam appetitus pulchri cognitionem, & rationem exposcit, & pulchrum non est finis, sed excitans, et dirigens ad finem; cuncta in finem tendunt, vel longius, vel proximius; at non omnia in illum dirigũtur per pulchrũ, sed multa solum per internum naturæ instinctum: homo autem, & per internum instinctum, & per rationem, & per notitiam excitatur ad bonum; adeo vt appetitus boni sit appetitus finis, appetitus vero pulchri sit pro fine. Insuper appetitus boni dicitur ab Academicis intimior, quia sequitur naturam, & instinctum internum eius; appetitus vero pulchri magis dicitur excitari ab externo, & dicitur exterior:* hæc in lib. de definit. rer. Sed in 2. grad. Moral. philosoph. cap. 16. inquit: *At fortè desiderium boni poterit dici magis naturale, quatenus magis per naturam, et naturæ principia nobis competit, communiusq; est, quam desiderium pulchri: Colligamus itaque cum boni, tum pulchri desideriũ esse naturale; illud communius, hoc minus commune; illud non necessario exposcit cognitionem; hoc vero illam exposcit:* & grad. 8. cap. 35. *est tamen minus commune bono late sumpto: Nam simplicia bona sunt, non pulchra; & bonum cum ente conuertitur, non pulchrum; ideo Arist. in 1. Nicom. disputans contra ideã boni ait, bonum in omni prædicamento reperiri, cum tamen pulchrum non in omni reperiatur,* & idemmet Arist. 2. Mag. Moral. cap. 8. inquit, *Nam quia bonum in omnibus dicitur esse prædicamentis, nempe in essentia, & in ad aliquid, & in quanto, & quando, ac in totum omnibus; quia in omnibus prædicamen-* *Arist.*

tis est bonum.

Ex quibus omnibus tandem apparet, de rigore, & secundum regulas philosophię, bonum esse magis obiectū Amoris, quam pulchrum, validiora esse argumenta, quæ pro bono, quam quæ pro pulchro adducuntur, & rationes bonas esse meliores, quam pulchras. Attamen, quia non conuenit, in rebus Amoris esse discordias; & in eo, qui quærit vnire Animos, discordes esse sententias: fœdere distinctionis puto istas opiniones posse reduci ad pacem, & concordiam, si dicamus, ex vario fine, & intentione Amantium, Varium quoque esse obiectum Amoris.

Amantium enim alij sunt, qui amāt solum propter voluptatem solam carnalem, & principaliter, & in istis bonum apparens est obiectum Amoris illorum; & similes Brutis non curant, nec tantam pulchritudinem, nec tantā proportionem: Alij sunt, qui honestius amant, & amant solum, vt amentur, nec aliud curant, quam amare, & amari, & in istis pulchrum est magis obiectum Amoris, quatenus pascuntur solum illa gratia, pulchritudine, & virtute Amatæ: & hic certè est ille Amor, qui tam honestè exercetur inter Viros Equites, & Mulieres nobiles, & generosas: Alij demum sunt, qui amant propter vtrumq;, & propter bonum, & propter pulchrum, ex quo tunc certè resultat adęquatus, & totalis Amor sensitiuus; & propterea etiā tunc adęquatum obiectum huius Amoris est tam bonum, quam pulchrum, quia propter vtrumque tunc æqualiter amant; & ita ex diuersitate Amantium nascitur etiam diuersitas tam obiecti, quam Amoris; hæc dico sunt vera, & possunt solum procedere de quadam æquitate, & benignitate

tate

tate Amoris: sed in puncto, & in rigore Iuris, ego puto, quod in qualibet specie, tam Amoris, quam Amantium, bonum sit semper potius obiectum Amoris, quam pulchrum, quia etiam ipsummet pulchrum, quando appetitur, appetitur semper potius, vt bonum, quam vt pulchrũ; cum enim bonũ sit illud, quod omnia appetunt, ergo omne, quod appetitur, & amatur, appetitur solum, & amatur, vt bonum, & sub ratione boni veri, vel apparentis: & hæc de secundo.

An proportio, vel color sit magis amabilis, & plus in Amore valeat. Art. 9.

QVoad Tertium, an proportio, vel color plus in Amore valeat: pulchra quidem, subtilis, & curiosa est quæstio, sed tamen difficilis, & obscura; Nam etiã Annib. Romęus in suo tractatu de pulchritudine, aliam huic similem excitauit quæstionem, an pulchritudo consistat magis in proportione, an in colore, & multas pro vtraq; parte rationes adducit; tandem præ difficultate alijs pro cuiusq; arbitrio decidendam reliquit. Romęus

Breuiter ego puto, plus valere colorem, quã proportionem. Primo, quia, vt diximus supra, pulchritudo pertinet ad partem cognoscitiuam, & non potest excitare Amorẽ, nisi cognoscatur, & solum in præditis facultate cognoscente: ergo illa pars pulchritudinis, quæ magis, ac citius est cognoscibilis, magis etiam, & plus valet in Amore; At color sine dubio est magis cognoscibilis, quam proportio: ergo plus potest color, quam proportio; Nam color, cum sit obiectum Visus, facile, & statim cognoscitur, proportio autem

tem, cum consistat in illa partium commensuratione, & temperie, altiorem requirit indaginem, & non potest ita facile, & statim ab omnibus perfecte cognosci; & color in omnibus, vel saltem in pluribus potest excitare Amorem, quam possit proportio: ergo plus potest in Amore color, quam proportio.

Arist. *Plutarc.* *Propert.* Præterea, visus est principium, & causa Amoris, vt clarè ostendit Arist. in 9. Moral. Nicom. cap. 5. & cap. 12. & Plutarc. in Sympos. lib. 5. quæst. 7. Vnde illud Propert. vulgatum, lib. 2. eleg. 12.

Si nescis, oculi sunt in Amore duces.

Stobæus Et latius dicemus nos infra cap. 11. & vt inquit Stobæus in florilegio serm. 64. contra pulchritud. vol. 1. *Visus ansa est capiendi Amoris*: ergo illa pars, quæ magis valet mouere oculos, & Visum, magis etiam valet excitare Amorem; sed color excitat magis oculos, quam proportio: ergo etiã plus valet in Amore color, quam proportio. Minor est clara, quia color est proprium obiectum Visus, proportio autem est sensile commune, vt docet Arist. in 2. de Anima *Arist.* Tex. 63. & 64. hinc Cęcus à natiuitate, non potest hoc Amore feriri, vel saltem difficillime, quia non potest sentire colorem; proportio autem, cum sit sensile commune, potest etiam à Cęco cognosci: ergo si tantum posset proportio, quantum color, sequeretur, quod Cęcus posset ita perfectè amare, sicut potest facultate Visus ornatus: hoc tamẽ est falsum, vt patet experientia, & nos latius dicemus infra cap. 11. ergo credendum est, plus valere in Amore colorẽ, quam proportionem.

Tertio, ad hoc facit illud Axioma vulgatum, probatum

ab Arist.in 1.Post.cap.2.quod,propter quod vnum quodque tale,& illud magis tale,sed proportio,si mouet Visum, mouet ratione coloris, & quatenus colorata: ergo tanto magis rapit color, & placet magis: & probatur minor, quia color, vt dictum est, est obiectum proprium Visus: ergo omne, quod videtur, debet videri sub ratione coloris,& quatenus coloratum. Nec dicas, proportionẽ posse mouere etiam sine colore, quia cum sit sensile commune,potest etiam sine colore cognosci; quia ego respondeo,quod quamuis absolutè loquendo possit sine colore cognosci, per relationem tamen ad Amorem, cum Visus sit principium, & causa Amoris; idcirco si proportio debet mouere Amorem,illum debet mouere per Visum: at per Visum non potest mouere Amorem, nisi per colorẽ, & quatenus colorata: ergo si quid potest in Amore proportio,totum potest virtute,& causa coloris:ergo plus valet in Amore color,quam proportio. Arist.

Quarto experientia, quæ dicitur efficax rerum Magistra,hoc manifestè probat: Nam color est efficacior,& efficacius mouet,rapit,excitat magis, quã proportio; & ego in me ipso experientia (fatendum est enim quod sentio) quotidiè probo,me magis moueri à viuacitate,& suauitate coloris,quam à benè commensurata proportione; & hunc Amorem præsertim sensitiuum magis sine dubio excitat color,quam proportio: Fateor quidem, quod si velimus examinare hanc quæstionem secundum Regulas Metaphisicas,in abstracto,& seorsum à sensu, quod magis deberet mouere proportio,quam color, sed in concreto, & in proposito nostro per relationem ad Amorem sensitiuum, di-

co

co ad hunc Amorem plus valere colorem, quam proportionem; hinc Mulieres in rebus Amoris versatissimæ, scientes maiorem defectum esse turpem colorem, quam deformem proportionem, vides, quanta industria, quanta diligentia, quanto sumptu, quanto Luxu, & quanta mixtura colorum curent reparare, præseruare, & conseruare colorem magis, quam proportionem, & artis industria conentur emẽdare, & corrigere defectum Naturæ; quarum omnino vanus, & inanis esset totalis labor, nisi ipsęmet experiẽtia optimè scirent, benè dispositos, & benè suo loco collocatos colores mirabiliorem vim, efficacioremque potentiam ad rapiendos intuentium Animos habere, in illisque Amorem violentius accendendi, quam proportionem. hinc Vincent. Chartar. de Antiq. Deor. imag. de imag. Cupid. *Quod vero hic Deus in floribus vitam agit, significat coloris pulchritudinem: in eo enim quod floribus caret, vel defloruit, siuè corpus, siuè animus, siuè quiduis aliud sit, Amor ipse non insidet: Vbi vero floridus, & odorifer est locus, ibi & considit, et permanet*. quod etiam prius dixerat Plato in Sympos. in orat. Agath. & refert etiam Stobæus de Vener. & Amor. serm. 61. vol. 1.

Chartar

Hæc est de re ardua sententia propria; Tu interim rem diligentius considera, ac pro veritate, vel detegenda, vel confirmanda, pro viribus conare. Nam verissimum est illud prouerbium Platonis in Hippia in fine, & in Cratyl. *pulchra esse difficilia cognitu*.

An

An bonus, vel malus sit iste Amor,

Et an noceant, vel prosint effectus illius.

Cap. V.

DEcursis iam generalibus istis qualitatibus, & accidentibus Amoris, declaratisq; iam illis, quę generalē eius cognitionē amplecti videbātur, postulat nunc à nobis subiecta materia, & Amantes suo quodam Iure, ardentissime cupiunt, vt ad quæstiones tandē desideratas, & magis curiosas descendamus; est enim sententia Arist. in p. phys. Tex. 57. *communia primum, deinde circa vnumquodq; propria esse inuestiganda*: Et quia ego quoq; Amans fui, & proprio periculo expertus sum, quanta nam, & qualis sit curiositas Amantium, pro viribus illis satisfaciens, principaliter ista in Amore explicare conabor. Arist.

Primo an prosit, vel noceat, & an boni, vel mali sint effectus illius; secundo, qui nam sit in Amore præstantior, Amans, vel Amatus, & an sit præstantius amare, vel potius amari. Tertio, an Amans possit æqualiter duas Mulieres, vel duos viros, eodem tempore, & eadem specie Amoris, amare. Quarto, qui nam in fruitione Amoris, & vsu rei venereę, maiorem delectationē percipiat, Masculus, an femina. Quinto, an per famam solam possit in nobis generari Amor, & an Cœcus à Natiuitate, possit hoc Amore feriri. Sexto, an sit necesse, vt qui amat, viceuersa ametur. Septimo, Philosophiam Plat. de Amore, Amorem q; quem Platonicum appellant, explicabimus.

Ad primũ, quod bonos in nobis effectus, & non solum bonos, sed etiam optimos producat Amor, videtur posse probari, istis euidentissimis rationibus: Amor in nobis est causa vniuersę virtutis moralis, omnesq; morales virtutes, & scientias etiam multas in nobis refulgere facit: ergo non solum bonus, sed etiam optimus est iste Amor: & probatur antecedens: Nam Amans hoc Amore accensus efficitur fortis, liberalis, magnanimus, iustus, prudens, tẽperans, venustus, & doctus: ergo boni sunt effectus Amoris. fortis efficitur omnis Amans; Nam, vt inquit Plat. in Conuiu. in

Plat. Collaud. Phæd. *Nec quisquam adeo ignauus est, quem Amor non inflammet, & ad virtutem diuinum reddat, vt Viro fortissimo par euadat:* & Plutar. in Amat. *Vir enim Amoris instin-*

Plutar. *ctu repletus, nihil indiget Marte pugnaturus in hostem, sed sui Dei fretus præsentia, per ignem, marisq; fluctus; atque turbines venti, paratus est transire*; & S. Petrus Grisolog. in Ioannem

S. Petr. Grisolog. ca. 10. eleganter descripsit vim Amoris, his verbis; *Fortem facit vis Amoris, quia nihil durum, nihil amarum, nil graue, nil lethale computat Amor verus; quod ferrum? quæ vulnera? quæ pœna? quæ Mortes Amorem præualent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respicit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet, si Amor est, vincit omnia*; & inquit Plutar. in lib. de Amor. prol. *quod gallina ipsa aliàs pusil-*

Plutarc. *lum, & imbecille animal, cum pro se timet; cum autem pro filijs; & pullis amatis timet, & canibus, & anguibus, & Leonibus resistit, ab eis defendit, & vltra, quam vires patiantur, ijs propulsandis certat,* Vnde, & Plat. loc. cit. ait, *Si quo pacto fieri Ciui-*

Plat. *tas, vel exercitus posset, partim ex ijs, qui amant, & partim ex ijs, qui amantur, supra quam dici posset fortiter agerent, admini-*

strarentq;

strarentq; singula, & Athen.lib. 13.nu.278. dicit: *Cohortem, quam Thebani sacram vocant, constare ex ijs, qui amant, & qui amantur*. & lib. 5. nu. 109. *Validissimum exercitum fore contractum ex illis, qui amant, et amantur; Verituros enim maximè se se deserere*. Sicut vulgato prouerb. fertur, Amanti nihil esse difficile. Nec putes ista esse vera, de Amore solũ honesto, & morali, quia immo magis sunt vera, etiam de Amore lasciuo, & sensitiuo: bruta enim ferè omnia, etiam illa, quæ mitioris sunt Naturę, dum primo verè, vel alio eis congruo tempore, flammas Amoris sentiunt, si antea erãt mansueta, ferocia euadunt, & si ferocia, ferociora fiunt, vt omnino intractabilia fiant: hoc per campos quotidie videmus in equis, tauris, arietibus, canibus, serpentibus, gallis etiam, & omnibus tandem animalibus brutis, quæ omnia statim, ac Amorem sentiunt, statim etiam se ad pugnã accingunt; quot bella? quot prælia? quot certamina? quot rixæ? quot murmurationes audiuntur? non se patiuntur, se mutuo irritant, & pluries inter se pugnant, vt vna vice solum Amore fruãtur: & quod adhuc est mirabilius, animal sæpe minori corpore, & viribus exiguis, prius quandoque inuitat ad pugnam animal, & viribus, & corpore longe maiore; tanta est enim vis Amoris, vt animal exiguũ, non timeat animal maius; sic minor Canis maiorem non patitur, vel saltem nõ timet, illum prius insultat, & latratibus, & morsibus prius irritat, sic Pullus Gallum non timet, & vt inquit Athen. in Cęnis, lib. 9. num. 194. *Gallus nunquam alteri gallo ineundi copiam facit absq; conflictu*, & supra num. 193. de Perdicibus masculis, *scribit Arist. fœminarum congressu Mares priuatos inter se dimicare, victum ab omnibus su-* Athen.

M 2 bigi

bigi vicissim, Syluestresq; à Cicuribus: quod si rursum alter quis piam superauerit, eius quoque libidinem Victum admittere; sed clam eo, qui prior vicerat. Vt iam sit notum, Animal mansuetũ, & exiguum, dum igne Amoris accenditur, euadere ferocius, & fortius; vndè Senec. in Hippol. act. p. ĩ choro ait,

Athenæus.
Senec.

Venere instinctus suscipit audax
Grege pro toto bella Iuuencus:
Si coniugio timuere suo,
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitu dant concepti
Signa furoris; tunc virgatas
India Tigres decolor horret;
Tunc vulnificus acuit dentes
Aper, & toto est Spumeus ore:
Pœni quatiunt colla Leones,
Cum mouit Amor.

Vbi latius vim, & potentiã Amoris elegantissime prosequitur. Sed irrationabilia loquor, & bestias; quid? non ne, & homo etiã, qui munere rationis cęlestibus animis æquatur, vt Amata, vel gratia Amatæ fruatur, præclara facinora gerit? periculis euidentissimis se submittit, vitã, & mortem pariter contemnit: Thæsei fabula, vel potius historia est omnibus nota, qui ob Amorem Ariadnæ, memoratu digna fecit, vt dicat Plutarc. in comparatione Thæsei con Romulo, *quippe Ariadnæ Amor, meo iudicio, prorsus diuinum opus, & Machinamentum ad hunc fuit conseruandum* & Hercules, vt testatur Athenæus lib. 13. numero 298. labores illos penè intollerabiles, Euristhæi solum amati gratia libenter passus est, & superauit, ibi, *Euristhæum in delitijs*

Plutar.
Athenæus.

litijs Herculi fuisse, eiusque gratia Herculem eos labores famcsos obijsse. Turnus apud Virgil. propter Amorem Lauiniæ fortius pugnabat; & Ariost. Poema egregium similibus historijs totum est repletum, vbi non solum Viri, sed & mulieres etiam multæ, propter Amorem egregia facinora gesserunt; & non ne quotidie videmus, quod dum aliquis amare incipit, statim etiam incipit alijs insultare, minari, increpare, ne rem Amatam aspiciant, ne per illam viam ambulent? Scit amans, quod si inueniatur secreto cum Amata à Parentibus, vel fratribus, vel cognatis, vulnerabitur, & occidetur, & tamē nihil timet: immo, & per gladios iret, vt Amata frueretur; quid est hoc? vis Amoris: ascendit fenestras, ambulat p tecta, p niues, p grandines, & nihil timet, nihil curat. Leandri fabula, vel forte etiā historia est omnibus nota. Nam verissimū est illud, quod inquit Plutarchus lib. 1. Sympos. q. 5. *amor vim quandā habet magnā compellendi Amantes ad omnia audendū, & nouas res tentandū.* & idē Plutarc. in Amat. inquit, *quod quidā Populi Tyrannis, quod omnia vastaret, dissiparentq́, omnia, nō se opponebant; Sed cum Tyranni cœperunt tentare eorū Amasios, tanquā Sacrosancta defensuri, cū capitis periculo illis restiterunt, aduersusq́; eos certamina susceperunt.* Et paulo post, *per medios Amatorē, & Amasiū nullus vnquā penetrauit hostis, qui etiā nulla cogente necessitate ostentāt audaciā suā, et vita cōtēptū: sic Thero Thessalus sinistrā parieti applicauit, et ense dextra stricto pollicē āputauit, prouocās ad hoc æmulādū riualē. alius quidā cū in pugna cecidisset in faciē, ab hoste iā ictū petijt, vt expectaret, tātisper dū se in tergū uerteret, ne Amasius eū uideret in tergo uulneratū.* Et legi ꝙ dū Achilles nollet pugnare cōtra Troianos, occiso tamē

Plutar.

deinde Patroclo, vt mortem amati Patrocli vlcisceretur, fortior propter amorem factus, fortius pugnauit, omniumq; fortissimum Hectorem superauit, & occidit; & Erminia apud Tass. cant. 6. stanz. 70.

Tass.

Ma più ch'altra cagion dal molle seno
Sgombra Amor temerario ogni paura,
E crederia fra l'vgne, e fra'l veleno
De l'Africane belue, andar sicura:
Et infra stanz. 87.
Si si potrò, che mi farà possente
Amor, onde alta forza i men forti hanno:
Da cui spronati ancor s'arman souente
D'Ardire i Cerui imbelli, e guerra fanno.

Amor enim odit inertes, vt inquit Ouid. in 2. de art. amādi, & Stobæus in florilegio de Vener. & Amor. serm. 61. vol. 1. ex Aristarcho.

Ouid.

Stobæus.

Nam ille Deus etiam inualidum valere
Facit, & perplexum inuenire viam.

Et sic Amans armata etiam per medios hostes exiuit, vt iret ad curam amati Tancredi: hinc Athen. lib. 13. n. 298. inquit: *Et coram Amato, quiduis potius fust inebit Amator, quam vt apud Amantium in opinionem incidat timiditatis*, ac quod propterea multi Tyranni timentes tantam Societatem Amantium, beneuolentiam, ac fortitudinem, *Pueros amari vetuerunt, vt tantam coniunctionem estirparent*; Non ob enormitatem abominabilis flagitij, sed ob timorem insuperabilis societatis, nec nefariæ culpæ timore, aut Virtutis Amore, sed solius proprij damni, ac, vt ita dicam, proprij interesse formidine: & qui ex vi Amoris sola procreati sunt,

Athen.

ti sunt, quamplurimi fortissimi euaserunt; Nam Bastardi, & Spurij per vim solius Amoris generantur, quia parentes eorum, nó nisi Amore accensi, coeunt, & Spurij multi fortissimi fuerunt; Nam Alexander Magnus spurius fuit, Hercules, Romulus, Brutus, & multi alij Reges, & Imperatores spurij fuerunt, vt refert Tiraquel. de Nobilit. ca. 15. nu. 30. vbi dicit, quod magna pars eorum, qui in re Militari, & fortitudine parem non habuerunt, spuriorum fuit; & semen Amantium est fortius, & ideo Mulier amans, & amata citius, & sæpius concipit, vt ait Plutarc. in Conuiual. lib. 5. q. 7. & Guar. etiam in sua fabula Past. act. 1. scen. 1. de Hercule loquens ait: Tiraqu. Plutar. Guar.

Anzi se guerre vinse, e Mostri ancise,
Gran parte Amor ve n' hebbe:
Così vigor indomito, e feroce
Che nel proprio furor spesso si rompe,
Se con le sue dolcezze Amor il tempra,
Diuiene à l'opra generoso, e forte.

Fortem ergo facit vis Amoris; Vnde, & non immerito finxerunt Poetæ, Martem Deum fortitudinis, esse Amantem, & Amatum Veneris Matris Amoris, quia fortitudo est Amoris Amica; Vnde, & in Cantic. Cantic. cap. 3. dicitur, *Fortis est, vt mors dilectio; dura sicut Infernus æmulatio*; Cantic. Cantic. cap. 3. hinc Ouid. in rebus Amoris versatißimus in 2. de arte Amandi, & primo Amor. eleg. 9. elegantißime comparat vitam Amantis cum vita militis; quia sicut in arte militari, & in castris multi sunt ferendi & labores, & sudores, & multa subeunda pericula; Vnde propterea Militia reddit Milites fortes: ita etiam in Amore Amans, & laboribus, & sudo-

ſudoribus, & continuæ morti ſubiacet, ex quibus propte-
Ouid. rea efficitur fortis: dicit enim in ſecundo de Art. Aman.

Militiæ ſpecies Amor eſt, diſcedite ſegnes;
Non ſunt hæc timidis, ſigna tuenda viris.
Nox, & hiems, longæq; viæ, ſæuiq; labores,
Mollibus his caſtris, & dolor omnis ineſt.
Sæpe feres imbrem, cæleſti nube ſolutum,
Frigidus in vda ſæpe iacebis Humo.

Et primo Amor. eleg. 9.

Militat omnis Amans, & habet ſua Caſtra Cupido,
Attice crede mihi; militat omnis amans.
Quis niſi vel miles, vel Amans, & frigora noctis,
Athenæus. *Et denſo mixtas perferet imbre Niues?*

Vnde Athen. in cęnis lib. 13. num. 279.

Quis negabit eos ſolos viuere, qui amant?
Illos enim oportet veluti Milites paratiſſimos
Eſſe: fereq; maxime poſſe laborem corporis:
Suisq; deſiderijs conſtantiſſimè, & pertinaciſſimè aſſidere.
Actuoſos eſſe, præfactos, & inuerecundos, alacres, conſilio
promptos,
In rerum difficultatibus oculatos, miſeriarũ patientiſſimos.

Et in expoſitione Emblemat. Alciat. 113. referuntur,
Plaut. iſti pulcherrimi verſus, ex Plaut.

Neq; vlla mihi obſtabit amnis, neq; mons, neq; adeo mare,
Nec calorem, nec frigus metuo, neq; ventũ, neq; grandinem;
Imbrem perpetiar, laborem ſufferam, Solem, ſitim;
Non concedã, neq; conquieſcã vſquam, neq; noctu, neq; diu,
Prius profecto, quã aut Amicã, aut mortem inueſtigauero.

Tibul. Et ex Tibull.

Quisquis Amore tenetur, eat tutus, sacerq;
Qualibet insidias non timuisse decet:
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis;
Non mihi cum multa decidit imber aqua.

Immo omnibus alijs dijs fortior fingitur Amor; & cum omnes Dij inter se cum suis armis decertarent, ab Amore omnes superati fuerunt: vt refertur in expositione su per Embl. 107. Alciat. his versibus ex Augeriano. *Auger.*

Omne olim Cælum, vt fertur, Cælum omne ruebat,
Inter se superi, dum fera bella gerunt:
Fortis erat Bromius Tyrso, Mars ense, Tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.
Atcum visus Amor fuit infulgentibus Armis;
Nec non accensa Lampade pulchra Venus.
Priuatur Tyrso Bromius, Mars ense, tridente
Neptunus; fortis fulmine dextra Iouis.

Hinc etiam Athen. lib. 13. num. 297. Euripid. *Athen.*

Quisquis Amorem magnum esse Deum non putat,
Et omnium eorum longè maximum:
Aut stolidus est, aut rerum honestarum imperitus,
Non nouit eum mortalibus esse maximum Deum.

Et Stobęus de Vener. & Amor. Ser. 61. par. 1. ex Eurip. *Stobæus*

Quisquis Amorem non magnum iudicat Deum,
Et inter Demones omnes supremum esse:
Vel rudis, ac indoctus est; vel omnis elegantiæ bonique inexpertus,
Maximum hominibus Deum ignorat.
Nimirum igitur, maximus est Diuorum Amor,
Et longe omnium nobilissimus:

Amor inter Deos potentissimus esse, vel inde apparet,
Quod homines propter istum, alios Deos peierent.

Et quis non miretur, ac iterum, atque iterum stupeat vim, & potentiam Amoris? qui cum sit puer, nudus, & cœcus, tam grandia tamen, & mortalia vulnera inferat, etiam longissime distantibus? penetrat, rumpit, frangit omnia, inferos, superos, terrestria, & vsque ad intima cordis, solo risu, vel verbo, & solus irreparabiliter pertingit; & propterea non sine ratione Amor assimilatur Api, quæ cum sit parua, & penè inuisibilis, grandia tamen afferat vulnera: Vnde & iucundioris lectionis, & tædij alleuiandi gratia, subijciam nunc elegantissimũ Emblema Alciat. 112. licet hoc sumpserit ex Theocrito, vt nosce poteris ex Stobæo loco citato:

Alciat.

Alueolis, dum mella legit, percussit Amorem
Furacem, mala apes, & summis spicula liquit
In digitis, tumido gemit, at puer anxius vngue,
Et quatit errabundus humum, Veneriq; dolorem
Indicat, & grauiter queritur, quod apicula paruum
Ipsa inferre animal, tam noxia vulnera possit:
Cui ridens Venus, hanc imitaris tu quoque dixit,
Nate, feram; qui das tot noxia vulnera paruus.

Ana-creont.

Et ibidem in expositione referũtur ista carmina ex Anacreonte, equidem non inuenusta:

Inter Rosas Cupido,
Apiculam iacentem,
Non vidit, estq; punctus:
Manumq; sauciatus
Mox eiulare cœpit,

Et cur-

Et cursitans, volansq;
Ad candidam Cytheren
Heu occidi, occidi, inquit,
Vitamq; Mater efflo.
En me minuta serpens
Pennata vulnerauit,
Apem vocant Coloni;
Tunc illa: Apis si acumen,
Tantum facit dolorem,
Quantum dolere credis,
Quos tu feris Cupido?

Sed etiam liberalis efficitur omnis amans. Vnde Plutarch. in Conuiual.lib.1.quæst.5.ait, *Et quod maximè videatur alicui mirum, tenax homo, & sordidus in Amorem incidens, tanquam ferrum in ignem emollitur, mitiorq; fit, & facilior, vt iam non planè ridiculum sit illud verbum, quod vulgo fertur, Amantium Crumenas folio porri esse ligatas*;& rursus in Amat. *Munificus autem, & liberalis fit omnis Amans, quamquam adhuc fuerit tenax; Auaritia ista, & pusillanimitate, quasi ferro igne emollita: ita vt iam magis gaudeat dans Amasio, quam ab alio accipiens*: Et in Conuiu. loc.cit. ait, *atque etiam si equum, gallum, aliudue quippiam Amasio donāt, vt elegans sit, & impensè decorū munus, laborant*: quod etiam testatur Xenoph.lib.1.memorabil.n.714. Vnde & Arist. in 2.Magn.Moral.cap.12. inquit, *quod omnis Amans, quatenus Amans, est beneficus, & liberalis*: Hinc eleganter notat. Tiraq. de leg.connub.leg.2. num.36. ex Homero, Virgilio, & alijs, quod ideo Venus sæpe dicitur aurea, propter

Plutar.

Xenoph.
Arist.
Tiraq.

immensos sumptus, & immoderatas expensas, quæ in re Amatoria fieri solẽt, & propterea vt notat Vincent. Chartar. de antiq. Deor. imagin. de imagin. Vener. *hæc Dea nuda effingitur, eam scilicet ob causam, quod Venereis voluptatibus addictus, sæpe omnibus suis bonis spoliatur: Nam eius rem familiarem meretrices abliguriunt, corpus debilitatur, animus ea labe adspergitur, ut nihil amplius pulchritudinis ĩ eo existat:* hinc dicunt Gratias esse Ancillas, & filias Veneris, & semper cum Amore ambulare, quatenus Amor maxime gaudet beneficio, & gratia; & multos vidi ego, qui desierunt amare, quia Amata non libenter accipiebat res donatas ab eis; & est impossibile, vt ames, & non cupias in Amatum conferre beneficia, nihilque aliud magis desiderat Amans, quàm Amato benefacere.

Sed hic insurgit grauis, & pulchra difficultas: Nam Plato in Phædro ait, quod Amans maximè inuidet Amato, vellet Amatum esse orbatum omnibus bonis, parentibus, amicis, necessarijs, facultatibus, sine vxore, sine filijs sine domo, sine auro, & quod in summa Amans dolet prosperitate Amati, gaudet autem eius aduersitate, vt ibi, *atq; omnibus, Amatori præsertim est manifestum, quod amicissima, charissimaq; & diuinissima possessione orbum fieri Amatum desiderat: parentibus enim, necessarijs, amicis priuari eum exoptat: Quamobrem necesse est amatorem, tanquam inuidum, amati prosperitate dolere, aduersitate gaudere;* & supra dixit, *hæc, & plura insuper animi mala, cum natura insunt, vel fiunt Amato gaudet Amator, atque alia insuper inferre conatur: denique omnia efficit, quibus ille omnium*

ignarus

ignarus euadat, qualis cum fuerit, Amatori quidem iucundissimus erit, sibi autem ipsi perniciosissimus, & infra consulit Amatis, vt potius non amanti, quam amanti obtemperent, alioquin si amatus amãti obtẽperet, *se ipsum cõmittit homini infido, moroso, inuido, molesto, pernicioso ad rerum possessionem, pernicioso ad corporis habitum, longe vero ad animi disciplinam perniciosissimo, qua nihil apud Deos, & homines reuera aut est, aut erit vnquam venerabilius.* Sic itaque ex sententia Plat. Amans cupit Amatum esse destitututum omnibus bonis; tam animi, quam corporis, & fortunæ, immo quærit Amans mala super inferre amato; quo modo ergo erit verum, quod amans efficiatur liberalis in amatũ? videntur enim ista implicare contradictionem, quod vnus, & idem Amans sit inuidus, & liberalis erga vnum, & eundem Amatum, & ex vna, & eadem causa.

Respondeo tamen, quod si Amans desiderat ista mala Amato ex sententia Plat. non tñ absolutè ista ei desiderat; sed desiderat solũ, vt amatus nõ habeat bona ab vllo alio, nisi ab ipso Amãte, quia solus Amans vellet ei cõferre beneficia, vt quot quot haberet Amatus, Amãti accepta referret, sicq; grat⁹, & adstrictus sibi Amãti efficeretur: considerat namque Amans, qđ si Amatus sit ornatus bonis animi, sapientia, prudentia, & doctrina, cõtemnet, spernetque eum, quia nõ indigebit Amante, vt instruatur, sapientiorque fiat: & similiter, si bona externa corporis, & fortunæ possideat Amatus, cũ nõ indigeat bonis, nec etiam curabit Amantẽ; sic itaq; desiderat Amans, Amatum esse destitutũ bonis animi, ad hoc, vt dum Amatus ignarus videt

Amantem ſapientẽ, & doctum, illum admiretur, cupiatq; ornari eiſdem Virtutibus, & ſic magis conuerſari quærat cum Amante, ab eoq; inſtrui, & doceri; qua occaſione Amans illum libenter inſtruet, ſibiquè gratum, ac ſui Amantem faciet, vt ibi, *deniq; omnia efficit, quibus ille omniũ ignarus euadat, admiretur Amantem, metuens, ne ſi Amatus Amante ſit ſapientior, contemnat Amantem*. Similiter, & deſiderat Amatum eſſe deſtitutum omnibus alijs bonis fortunæ, vt dum Amatus indiget, Amans poſſit ei benefacere, *puerum namque vel auri, vel cuiuſuis poſſeſſionis ditiſſimum neque facile capi poſſe putat, neque ſi fuerit captus, detineri*, inquit ibidem Plato; ſic itaque Amans deſiderat Amatum eſſe deſtitutum omnibus bonis, vt illi ipſe ſolus poſſit benefacere, in eumq; ſuam exercere liberalitatem, & certè videmus, quod ſi Amans amet Amatam, quæ ſit pauper, & egeat pecunia, citius, ac facilius eam conſequitur, quam ſi eſſet diues, & opulenta, ergo optimè facit ſecundum leges Amoris, ſi cupiat Amatam eſſe deſtitutam omnibus bonis; nec amat inopiam Amatæ principaliter, ſed ſolum quia ob egeſtatem illius, facilius ſperat ſe poſſe potiri Amata; & ſic iſta inuidia Amantis in Amatam oritur ex liberalitate, & ex nimio Amore Amantis: non ergo, quod Amans, non ſit liberalis, inuidet Amato, ſed potius quia eſt maximè liberalis, inuidet, vt ipſe ſolus in Amatam ſuam poſſit exercere liberalitatem: liberalis ergo iam efficitur omnis Amans; vt ex hac ſola immenſa liberalitate, M. Antonius ingentes, & immenſas Prouincias Cleopatræ donauit, Phœniciam, Celen, Syriam, Cyprum, magnam Ciliciæ partem, &

Regionem Iudęæ, magnamq; partem Arabiæ, vt refert Plutarc. in vita illius. *Plutar.*

Signa etiam multa magnanimitatis, & magnificentiæ præsefert quilibet Amans; inter alias enim proprietates Magnanimitatis, istæ sunt principaliores, vt beneficijs magis velit afficere, quam affici, & vt plura retribuat, quam acceperit, velitque alios superare beneficijs: non potest celare odium, vel Amorem, habetq; quandã animi magnitudinẽ, & altitudinẽ, vitamq; propriã, neq; magni facit neq; amat, & circa honorẽ versatur, vt docet Arist. in 4. Moral. cap. 3. & in Libello de virtutibus: Amans autem omnis magna cogitat, & magna cupit facere, vt honoretur magis, libentius Amatæ donat, quam ab ea, vel ab alio accipiat, certatq; eam beneficijs superare, & quantitate, & qualitate; pro ea neq; vitam propriam amat, neq; magnifacit, pro Amata libenter sanguinem effunderet: præparat torneamenta, saltationes, Comœdias, Musicas, repræsentationes, venationes, conuiuia, & ea omnia, quæ possunt delectare Amatam: ergo liberalis, & magnificus omnis Amans. *Arist.*

Quod autem etiam efficiatur iustus, docet Plato in Symp. in Orat. Aghat. Nam nisi cum volente non contrahit, nec nisi volentem amat, sponte legibus Amoris paret, nemini iniuriam infert, nec ab vllo patitur, ergo iustus omnis Amans, inquit ibi Plato. *Plato.*

Sed & prudens efficitur. Nam prudentia nil aliud est, quam recta ratio agibilium, vt docet Piccol. in 5. grad. Moral. Philosophiæ cap. 29. tu autem vides Amantem, quomodo caute procedat, ne displiceat Amatæ, ne præ- *Piccol.*

beat

beat occasionem dissensionis, vel suspicionem alterius Amoris, in verbis, in rebus sagax, quomodo quærat parare sibi gratiam Amatæ, amicitiam cum Parentibus, cum fratribus, Amicis, cognatis, seruis etiam, & Ancillis Amatæ: prudentia versatur in inueniendis, aptandisque congruentibus medijs, quæ ad finem conducunt; Amans autem nihil intentatum relinquit, vt inquit Plutarc. in Sympos. lib. primo, quęst. 5. omnia curat, omnia quærit, circumspicit omnia, quæ ad finem amatum, eum cōducere possunt: ergo efficitur prudens.

Plutar.

Sed etiam efficitur castus, temperans, & continens omnis Amans, vt ait Plat. ibidem in Orat. Aghat. ibi, *nec Iustitiæ solum; verum etiam summæ est Temperantiæ particeps; si quidem inter omnes conuenit, Temperantiam esse libidinibus, & voluptatibus dominari, nullamq; voluptatem esse Amore potentiorem: quod si voluptates omnes Amore imbecilliores sunt, ab illo vtique superantur, ille vero dominatur: Amor itaq; quia libidinibus, & voluptatibus dominatur, mirum in modum est temperans*; & Arist. in lib. de Virtut. inquit, *quod Tēperantia est virtus appetētis, per quam à malarum voluptatum appetētia reddimur alieni: Continentia est Virtus, qua cupiditatem, quæ in malas fert voluptates, prohibemus, & versatur continentia, & Temperantia in voluptatibus corporis; & nō in omnibus, sed in illis solum, quæ sunt nobis communes cum animalibus brutis, & ad tactum præsertim spectant*, vt docet Piccol. grad. 4. Moral. Philosophiæ cap. 29. Amor autem ista omnia in Amante operatur: Nam statim, ac quis incipit amare, alias etiam statim incipit odisse voluptates, nullam aliam rem curat, & in sola re amata quiescit; etsi non po-

Plato. *Arist.* *Piccol.*

potest frui Amata, omnino castus viuit, alias mulieres nõ curat, quia non vult; & Amata non fruitur, quia nõn potest. ergo necessario cogitur esse castus, temperans, & continens. hinc Plutarc. in Amat. prope fin. *Amori tantum adest continentiæ, modestiæ, fidelitatis; vt etiam si libidinosam attigerit Animam, eam ab alijs Amoribus auertat, ferociaq́ & proteruitate excisis, verecundiam, taciturnitatem, tranquillitatem, modestiamq́ conciliet, vniq́ Amatori faciat morigeram.* Plut.

Venustas postea, & lepor est ita proprius Amantis, vt neminem proprie venustum dixeris, nisi qui sit, vel fuerit amans; venustas enim, & lepor in sola schola Amoris addiscitur: illum enim, qui incipit amare, statim vides, quo modo quærat, & quanta, & quali industria se reddere ornatum vestibus, & vestibus preciosis, varij coloris, & generis, odoribus, & gemmis, quomodo quærat videri gratiosus, in rebus, in verbis, in omnibus denique actionibus: immo, & ipsi Rustici, dum amore accenduntur, videntur euadere magis diligentes, & gratiosi. Vnde Ariost. cant. 32. stanz 93. ait. Ariost.

Ch'Amor de' far gentile vn cor villano,
E non far d'vn gentil contrario effetto.

Sed quid mirum in homine ratione prædito, cum hoc idẽ operetur Amor, & in animalibus brutis, & etiam in Plantis? Vides Pauonem, Gallum gallinaceum, & Columbos, dum sentiunt Amorem, & aliquod inditium Amoris ostendere volunt, quomodo se ipsos inflant, implent, dilatant alas, caudam rotant, magna pompa se ipsos circumspiciunt, propriam quodammodo pulcritudinem admirantes, vt eandem etiam admiretur Amata: & plantæ

etiam ipsæ, dum primouere Amorem sentiunt, statim se ornant, & frondibus, & floribus, & odoribus, vt inter flores, odores, & frondes proprium possit vnaquæque suum producere fructum, qui non est fructus, nisi fructus Amoris: omnia ergo tam animalia, quam plantæ venustate ornantur, dum Amoris igne inflammantur vt inquit A-
Athen. then. lib. 15. nume. 332. *Etenim illis, qui amãt, nulli curiosius corporis elegantiam, ornatum, pulchritudinemq; affectant:* igitur omnis amans efficitur venustus.

Tandem Amans efficitur doctus, & scientificus. Nam
Plat. Plat. in Conuiu. in orat. Socrat. dicit, *Amorem esse philosophũ* nec quidem sine ratione Nam Amans semper philosophatur, contemplatur, ac meditatur, quomodo inueniat causam Amoris, causam dissensionis, quod nam remediũ illius, & sic semper cogitat applicare actiua passiuis: immo & logicus, & Sophista, & Rhetor efficitur oĩs Amans: quot Argumenta, quot Syllogismos, persuasiones, & Sophismata adducit, & excogitat verus Amans, vt capiat, cõuincat, decipiat etiam Amatam? Exempla, historias, & fabulas ipse recenset, vt in propriam opinionẽ deducat Amatam, cui solus Amor multiplicat materiam, & occasionem
Athen. inquisitionis: Vnde inquit Athen. lib. 13. nu. 278.

Et, qui cum Amore versatur, virtutis accedit, & sapientiæ Maxima doctrina.

Et quod propterea Athenienses Mineruæ quidem dedicauerunt Academiam, sed ibi etiam Amoris imaginem posuerunt, Amoriq; simul cum Pallade, sacra faciebant. Innuere volentes Amorem in nobis producere omnes virtutes, ac scientias etiam multas, & si non ab eo, saltem cum eo, vel tandẽ

sine eo,

sine eo, eas produci non posse; immo, & Samij Gymnasiũ Amori dicarunt, ac eius festa celebrantes, ea liberalia nuncupabant.

Sed & Poeta, Musicus, & Pictor efficitur omnis Amãs: Vnde Plat. in d. orat. Aghat. inquit: *Hic Deus Poeta est adeò sapiens, vt alios quoque Poetas poßit efficere: quilibet enim licet antea rudis, Poeta efficitur, cum primum Amor afflauerit: ex quo perspicuè coniectare licet, Amorem peritum esse Poetam, omnesq; summatim Musicos Poësis numeros continere*, & Stobęus de Vener. & Amor. Serm. 61. par. 1. ex varijs, Plat.

Musæ Amorem non metuunt crudelem, Stobæus.
Quin amant ex animo, & vestigia sequuntur eius;
Quod si quis ingenio præditus inamabili ipsas comitetur,
Illum refugiunt, & docere volunt.
At si Amore captum gerens animum suauiter cecinerit,
Ad ipsum simul omnes festinæ confluunt:
Quòd autem hic sermo plane verus sit, ego testis sum;
Nam si hominem quempiam, aut immortalium carmine celebro,
Cessat mea lingua, nec vt ante solebat, canit,
At cum in Amorem, vel in Lycidam aliquid modulor,
Tunc mihi letum ore carmen profluit.
Amor docere potest, quam sophista
Ineptus multo melius rationem humanæ vitæ.
Si quis Amantes mentem habere negat,
Ingenij nimirum est stupidi:
Non est sanè Pedagogus hominibus
Diligentior vllus alius, quam Amor.

Cuius rei etiam apertissimum facit testimonium Frãcisc.

Petrarch. Petrarch. qui sicut omnium Poetarum fuit amantissimus, ita omniũ Amantium Poesim maximè calluit, & in Canz. 48. par. 2. introducit Amorem loquentem. quod si talis, ac tantus Poeta euasit, talis euasit ratione, & beneficio solius Amoris; & Guaz. lib. 2. Ciuil. conuers. refert, quod cum Apollo gloriaretur, quendam Poetam euasisse sola opera ipsius, Venus ei se opponens, dixit, illum talem euasisse igne, & opera sui filij Amoris, alias ille mutus fuisset; hinc ait Plutar. in Sympos. lib. 1. quæst. 5. quod, *Amor alioquin loquax in laudando est, verbosissimus: Nam qui amant, tum ipsi sibi hoc persuaserunt, tum alijs persuasum esse volunt, pulchros, & bonos, ab se amari; quæ res etiam Candaulem illum Lydum eo pertraxit, vt in cubile introduceret seruum, cui spectandam suam vxorem præberet, ipsi enim volunt suorum Amasiorum pulchritudinis Testes esse. Itaque cum laudationes scribunt, eas cãtilenis, et versibus exornãt, tãquã auro statuas, vt & audiãtur, et memorentur à pluribus.* & ibidem in fine, *absurdum itaque non est, aut mirum, si omnia principia Musicæ Amor in se complexus, dolorem, videlicet, voluptatem, & diuinum instinctum, cum alias industrius, & garrulus, etiam ad condenda carmina, & versus, magis vllo alio animi motu præceps sit.* & in Amat. inquit, *& per carmina calorem corde conceptum emittit, suauè sonantibus Musis, Amori medicans suo*; Vnde, & refert ibidem Carmen Eurip. quod *Amor docet Musicam, quemlibet etius rudem prius*. Sic est enim, & sic esse propemodum vniuersa testantur. Rusticos enim, & Pastores etiam, statim ac Amorem sentiũt, vides, & audis, quomodo curent fistulas, rusticales cantilenas, componant carmina, & Amatam in aliquo trunco in-

(Marginal notes: Petrarch. — Guaz. — Plutar.)

co incidant, & cantibus, & versibus conentur allicere Amatas; & Puella, cum suauius, & frequentius canere incipit, & se ornare, statim arguas eam esse amantem: & Amans cum in corde ferat imaginem Amatæ, ita etiam quærit, eandem foras exprimere: Vndè sæpè Amatam fingit, & pingit, vel in pagina, vel cera, aut in aliquo cortice plantæ, vt qualem intus sentit, talem etiam foras exprimat; sed rationabilia loquor: non ne, & in brutis etiam hoc euidentissime conspicitur? Philomela enim dum Amorem sentit, modulatur suauius.

Et, vt inquit Plinius Hist. Nat. lib. 10. cap. 29. *In vna perfecta Musicæ scientia modulatus editur cantus, & varius sonus; nunc continuo trahit in longum, nunc variat inflexo, nunc distinguit conciso, copulat intorto; promittit reuocato, infuscat ex inopinato: Interdum, & secum ipse murmurat, plenus, grauis acutus, creber, extentus, & vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus; Vt mirum sit, in tam paruo corpusculo tam garrulum, & sine intermisione continuum adesse cantum, & pertinacem spiritum, vt nec fatigari, nec satiari posse videatur, & prius vitam, deficiente spiritu, finiat, quam cantū; in tamq; paruulis faucibus omnia ea breuiter reperiantur, quæ tot exquisitis Tibiarum tormentis, sagax hominum ætas excogitauit.* Plinius.

Hinc incertus quidam author inter fragmenta Ouidij relatus.

Tu Philomela potes vocum discrimina mille
Mille potes varios ipsa referre modos.
Nam quamuis aliæ volucres modulamina tentent,
Nulla potest modulis æquiualere tuis.

Merulus dulcius canit, Atricapilla melos cōponit, Pro-

gnes garrit, Columbus murmurat, & omnes deniq; aliȩ volucres ſuauiſſimam conficiunt Muſicam, dum amare incipiunt; & terreſtria etiam hoc probant. Equus enim feruentius amans, frequentius hinnit, rugit Leo, Taurus mugit, Lupus vlulat, durus Aper, ac indomita Tigris fremunt: quod clariſſimè explicat Guarin. in ſua fabula paſt. act. primo, ſcen. prima, his verbis.

Guar.

Quell' Augellin, che canta
Si dolcemente, e laſciuetto vola
Hor dal' Abete al Faggio,
Et hor dal Faggio al Mirto
S'haueſſe humano ſpirto,
Direbbe, ardo d'Amore, ardo d'Amore.
Mugge in Mandra l'armento, e quei muggiti
Sono amoroſi inuiti:
Rugge il Leone al boſcho,
Ne quel ruggito è d'ira
Così d'Amor ſoſpira.

Vbi, & elegantiſſimè, & latius hanc rem proſequitur; & *Ranæ etiam ipſæ dum amant*, vt ait Plutar. in lib. de ſolert. anim. *euocationibus vtuntur, vocem edentes, ad amorem, & coniugium aptam, vbi autem Mas femellam ſic allexit, vnà noctem iſtam commorantur*, igitur iam omnis Amans fit ſapiens, doctus, Muſicus, Poeta, & Pictor: Vnde Plat. in dicta orat. Agath. inquit, *ſagittandi namque, medendi, & diuinandi peritiam appetitu, atque Amore Duce inuenit Apollo, qui eſt Amoris diſcipulus; Muſicam ſimiliter Muſæ; fabricam Vulcanus ærariam; texendi artificium Minerua; Iupiter Deorum, hominumque*

Plutar. Plat.

guber-

gubernationem; & Marsil. ficin. in Sympos. orat. 6. capitulo 10. inquit, Amorem esse callidum, & sagacem venatorem, machinatorem, insidiatorem, prudentiæ studiosum, philosophum, virilem, audacem, vehementem, facundum, magum, atque sophistam; quippe qui instruat Amantem, quomodo gratiam Amatæ aucupetur, seu dolis implicet, seu captet obsequijs, siue eloquio mulceat, siue cantu deliniat, & quod idem Amor arma, & modum ministrat Amanti, quibus valeat rebus amatis potiri: & Stobęus in florilegio de Vener. & Amor. Serm. 61. par. 1. ex Orpheo. *Marsil.* *Stobęus*

Aduoco magnum, sanctum, amabilem, suauem Amorem,
Arcipotentē, alatum, igneo cursu velocem, impetu agilem,
Colludentem Dijs, & mortalibus hominibus;
Industrium manibus, natura duplicem, claues habentem omnium,
Celestis Aetheris, Ponti, Terræ, & quot quot hominibus
Spiritus omnium generum, Tellus gramine fæcunda nutrit,
Tartarus & quot habet latissimus, & mare raucum;
Solus enim istorum omnium Imperium obtines.

Vnde, & D. Bernardus in lib. de nat. & dignit. Amo. capitulo primo, in princ. inquit, *quod Ars est Artium Ars Amoris*, quatenus plus addiscitur in hac arte Amoris, quam in omnibus alijs disciplinis. Vnde, & non immerito vulgo dicitur, quod lites, inimicitię, & Amor reddunt hominem sagacem, vigilantem, & prudentem. Hinc Plutarc. libro primo Sympos. quæst. 5. *Amor de taciturno loquacem, de verecundo officiosum, de negligente industrium, & de socorde reddit impigrum.* *D.Bern.* *Plutarc.*

Igitur

Igitur iam ex dictis euidentissime constat, Amorem etiam lasciuum esse bonum, & bonos in nobis producere effectus; quos omnes, vltra ea, quæ dicta sunt, elegantis-
Plat. sime complexus est idem Pater Amoris Plato in eadem Orat. Aghat. his verbis. *Hic Deus est, qui pacem largitur humano generi, Pelago serenum vultum, requiem ventis, homini cubile, & somnum curis permixtum: hic rusticitatem à nobis amouet, hic nos familiaritate conciliat, cætus huiusmodi omnes congregans, in solemnibus, festisq; diebus, in Choris, in sacrificijs dux nobis, & præsidens; mansuetudinem quidem porrigens, exterminans feritatem, beneuolentiæ largitor, maleuolentiæ omnis expulsor, propitius, beneficus, spectandus sapientibus, Dijs placidus, exoptandus expertibus, participantibus possidendus, atque tenendus; deliciarum, mollium illecebrarum, gratiarum dulcis perfusionis, & desiderij Pater; bonorum studiosus, malorum spretor, in labore, in timore, in desiderio, in sermone gubernator, perfectus adiutor, seruatorq; præcipuus; cunctorum Deorum, atq; hominum decus, & Dux pulcherrimus, atq; optimus*. Et ibidem in Collaud. Phædri. ait. *Nã quid melius accidere possit Adolescenti, quàm optimus Amator, aut Amatori, quam Amasius optimus, non inuenio: duo quidem sunt, quæ à pueritia per omnem vitam ducere illum debent, qui sit præclare victurus, in rebus turpibus verecundia, honestis vero, gloriæ, laudisq; studium; hæc autem nobis, neq; genus, neq; diuitiæ, neq; honores præstare citius, ac melius, quam Amor, possunt*. Vnde cum tot, taliaque bona nobis largiatur iste
Plutar. Amor, non immerito dixit Plutar. in comp. Thæsei cum Romulo, *quod Amor sit Deorum Minister, hominibus exhibitus, pro cura, & salute Iuuentutis*; & Procul. in lib. de Anim.
Procul.

& dęmone, *mouentur quidẽ à Deo pulchrorum Præside, ad Curã Animorũ ingeniosorum*, & Plato in Symp. in Aristoph. laud. *est enim præ cæteris Dijs sũmopere generi humano benefi-cus, curator, et tutor hominũ:* & ibid. Paul. *hic autẽ est ipsius cæle stis Deæ Amor cælestis et ipse, qui tã priuatim, quã publicè pretio sus est, et Amãtẽ pariter, et Amatũ Virtutis curã, studiũq; sus-cipere cogit.* Sicut è cõtrario, qui Amori nõ incũbũt, nec Amore lætãtur, quãuis essent omnib⁹ alijs Virtutib. præditi; spernuntᵣ tamẽ à Dijs, ac negligũtur: hinc Atheneus l. 13. nu. 297. ait, ꝗ ideo Hippolytus ille Phedrę ardor, ac ignis nõ fuit iuuatus à Dijs, dũ ab Equis raperetur p spinas, & saxa, quia nũquã rebus Amoris delectatus fuerat, ibi: *Iuueni quidẽ omni Virtute prædito id solũ vitij fuit, & perniciei cau-sa, quod Venerem non coleret: & nec Diana, cui fuit apprimè charus, nec* Deorum, *Dæmonumuè quispiam opitulatus est:* prodest ergo sequentibus & nocet fugientibus Amor. Plat. Athen.

Quod noceant, & mali sint effectus Amoris. Cap. VI.

EX altera parte, ꝗ pniciosissimus sit iste Amor, in nõbisq; dãnosissimos pducat effectus, ex his clarissimè cõspicitur; Namq; nulla est alia passio, aut animi pturbatio tã grãdis, quæ hominẽ bestijs, & brutis magis similem reddat, q̃ ista efferata rabies Amoris; & vt inquit Plutar. in d. Sympos. lib. 1. quæst. 5. *Inuenies nullã aliã animi pturba-tionẽ, vel dolores afferre acriores, vel gaudia vehementiora, vel maiores furores, mẽtisq; abalienationes:* & in Amat: inquit, *qđ difficilius est resistere Amori, quã iræ, qui qđ cupit, vel vita, vel pecunia, vel fama redimit*, ꝗ etiam prius dixerat Arist. in 2. Moral. c. 3. hinc Vincent. Chartar. de antiq. Deor. imagin. de Imag. Cupid. in princ. *omniũ Animi ptur-* Plut. Chart.

bationũ nulla equidem vehemẽtior, aut perniciosior est Amore, iste enim Amor, cũ vt plurimũ pro fine coitũ sibi proponat, ac pro fragilitate vtriusque sexus ad illũ sæpe perueniat, coitus autẽ maximè noceat, & corpori; & animo, iã necessario sequitur, istũ Amorẽ esse perniciosissimũ: corpori quidẽ infinita mala infert, omnes vires debilitat, tẽperiem corporis corrũpit, senectutẽ accelerat, vitã abbreuiat, omnibus tãdẽ mẽbris, & mẽbrorũ partibus maximè

Tiraq. officit; adeo vt Tiraquel. de leg. Connub. leg. 15. à num. 6. vsq; ad nu. 53. infinitos, & prope innumerabiles morbos referat, qui ex coitu, & vsu rei venereę ꝓueniunt: & dicit

Maru. Marul. prout refertur in expositione Emblẽ. Alciat. 113. ꝙ ideo Amor pingitur cœcus, quia ĩmoderata libido eripit lucẽ; sed tñ mala, quæ animo infert, eo sunt maiora, ac grauiora, quò animus ipse corpori præstare cognoscitur; cerebrũ enim, mẽs, & intellectus ꝑ coitũ maximè hebetãtur: Nã maxima pars spermatis è cerebro secernitur, vt idẽ

Gal. ibidẽ refert num. 35. ex Gal. & alijs, ex quo sequitur eum, qui intemperãter vtitur coitu, maximã etiã partẽ cerebri amittere, vsumq; cerebri maximè labefactare, & cõsequẽter etiã vsũ rationis, & Intellectus: adeo vt possemus dicere in vsu, & in illo actu rei venereæ. hominẽ nõ esse hominẽ, sed potius brutũ; memini enim me legisse apud Arist. ꝙ in coitu, homo nõ difert à Brutis; cuius ratio potest esse ista; homo in tantum dicitur homo, in quantum rectum habet vsum rationis; homo enim non solum dicitur homo à potentia, & facultate rationali, sed magis ab vsu eius facultatis; Vnde dicimus, ꝙ infans, stultus, & ignarus non habent intellectũ, & ꝙ sunt æquiuocè homines, quatenus carent recto vsu rationis, a quo omnis perfectio humani

gene-

generis pendet; Æquiuoca.n.sunt ea, quorũ nomẽ est idẽ, ratio aũt diuersa, vt ex Arist.in antepraedic.c.1.ratio autẽ, & forma hominis est anima rationalis, cuius perfectio in recto discursu cõsistit; qui ergo rectũ non habet discursũ, non habet animam, & rationem adeò perfectã: ergo nõ est perfectè homo: ergo est æquiuocè homo; sed homo in coitu nõ habet rectũ vsum rationis, vt omnibus puto esse manifestũ: ergo in eo actu nõ est perfectè homo: ergo æquiuocè homo: ergo brutis magis similis, quã perfecto homini. Et propterea Alexander Mag. qui, vt refert Plut. in lib. quom. poss. adulat. ab amico internosci, paulo post medium, adeò se adulatoribus supplantandum tradiderat, vt ab eis pateretur adorari, ac vestiri ad instar simulacri, haberi, ac prædicari pro Deo, *ex somno potissimum, ac re venerea dicebat se doceri, fidem non esse habendam ijs, qui ipsum Deum appellabant, quod in his duabus rebus se ipso deterior esset, ac plus æquo afficeretur*; Igitur homo per vsum rei venereæ fit se ipso saltem deterior. Arist. Plut.

Ex hoc aliud pẽdet, quod dũ generatur filius hominis, possemus dicere, qđ nec generatur homo, nec generatur ab homine: non generatur homo, quia tunc in tempore cõceptionis, conceptus non habet, nec vsum, nec potentiã rationis, sed tũc dicitur similis plãtę, & viuere vitã ꝓpriã solius plantæ: nec etiam generatur ab homine, quia dum concipitur, concipitur in eo actu, & puncto temporis, in quo pater, & mater per coitũ emittunt semen, in eo autẽ actu, iã dictũ est, non esse propriè homines: ergo dũ generatur homo, nõ generatur, vt homo, nec generatur ab homine, tanquã ab homine, ob defectum vsus rationis: ergo iste Amor hominem facit similem brutis; quia hic Amor

pro fine habet coitum, & homo non coit, nisi hoc Amore ductus, & illectus, homo autem in coitu non differt a brutis: ergo damnosissimus est iste Amor.

Quod puto Ego, eleganter voluisse innuere Veteres illos, qui fabulati sunt, Circē, & Medusam transformasse homines in Porcos, ī Asinos, in Serpētes, & Lapides: qa enim istæ mulieres erant pulcherrimæ, & lasciuiæ deditæ, ac sui corporis copiam multis faciebant, homines earū Amore adeò capiebantur, vt alij per lasciuiā, fierēt similes Porcis, alij stolidi, vt Asini, alij crudeles, & rabidi tanquā Serpentes, alij demum adeo corpori diditi, & animæ obliuiosi, vt verius lapides, & insensati, quam propriè homines dici valerent; & Deos etiam ipsi suos finxerunt, sæpius se ipsos transformasse in grandinem, in auream pluuiam, in Taurum, in Cygnum, & in alias huius generis insanias, vt denotarent etiam eorum Deos insanire, vi istius Amoris

Senec. ductos, & illectos; Vnde Senec. in Hippol. act. 1. ī Chor. ait:

Et iubet Cœlo superos relicto,
Vultibus falsis habitare Terras.
Thæssali Phœbus pecoris Magister
Egit Armentum; positoque plectro,
Impari Tauros calamo vocauit.
Induit formas, quoties minores
Ipse, qui Cœlum, nebulasque ducit?
Candidas ales modo mouit alas,
Dulcior vocem moriente Cygno:
Fronte nunc torua petulans iuuencus
Virginum strauit sua terga ludo,
Perque fraternos, noua Regna fluctus
Vngula lentos imitante remos,

Pecto-

Pectore aduerso domuit profundum;
Pro sua vector timidus rapina.

Quod adhuc clarius ex multis exẽplis, & historijs colligitur: Nã Pasiphae amauit Taurũ, ex eoq; Minotaurum genuit, & vt inquit Ouid. in 2. Amor. in prin. *semibouẽq; Virũ, semiuirũque bouẽ*; Semiramis equũ vsq; ad coitum adamauit; alia quædã puella in Etruria canem amauit, eoq; facta grauida, semicanẽ genuit; Alcippe Elephantũ amans, Elephantũ peperit; & in Ægypto in quadã insula ferunt, Mulieres passim cũ hircis coire: Aristonymus, vt refert Plut. in Paral. rẽ habuit cũ Asina, ex qua filiã formosissimã suscepit, cruribus tamẽ asininis. Fuluius Stellus Equã cognouit, ex qua suo tempore filiam habuit pulcherrimã. Machareus cũ una sororum rem habuit, ac filiũ suscepit. Papirius Canuliã sororẽ fœcundauit: hinc Paul. ad Cor. c. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes: itaut vxorẽ patris sui aliquis vestrum habeat*: vxor patris, vel est mater, vel saltem nouerca filij: igitur arguit Corinthios, quod vel matres, vel nouercas inirent; & *Pericles ille Olympius, qui*, vt testatur Athen. li. 13. nu. 291. *Ob prudentiam in rebus publicis tractandis magnam consecutus fuerat dignitatem, & authoritatẽ, fuit adeò in Venerem propensus, vt propter Aspasiã Amatam totam Graciam perturbauerit, ac cum vxore proprij filij passim coiret.* Mirrhaque Cynirã patrẽ amauit, ac cũ eo rẽ habuit. Itẽ Pelopeia, Harpalice, Procris, & aliæ suos patres amauerũt, ac cũ illis copulam carnalem habuerũt: Agrippina mater Neronis, cum filio rem habere cupiebat, sępiusq; ad lasciuiã ornata hoc filio significauit; & multæ aliæ, quæ proprios filios Amantes hoc genere Amoris, aliç cum eis rẽ habere cupiebant

Ouid. *Plut.* *D. Paul.*

bant, & aliæ habuerunt; multę aliæ suos fratres, priuignos, generos, & maritorum fratres, hoc genere Amoris amauerunt, ac cum eis rem habuerunt. Multæ aliæ propter hunc Amorem adeo crudeles factæ sunt, vt alia patrem, alia patriam, alia proprios etiam filios prodiderit, eosq; ue vel necari passæ sunt, vel etiã proprijs manibus necarunt, vt liberius, obstaculis sublatis, securius Amato frui, & potiri valerent, vt elegantissimè tradidit, & refert Tiraq. de

Virg. leg. connub. leg. 9. nu. 13. & nu. 100. Vnde Virg. Eglog. 8.

Sæuus Amor docuit Natorum sanguine matrem
Commaculare manus: Crudelis tu quoque Mater:
Crudelis Mater magis, an Puer improbus ille?
Improbus ille Puer, crudelis tu quoque Mater.

Ecce iste Amor hominem similem brutis, & brutis etiam deteriorem sæpissimè facit, ac in vna sola specie hominũ tot, ac talia mala producit, quæ in omnibus alijs speciebus simul iunctis, nunquam reperirentur.

Quos omnes ferè istos effectus simul complexus est, &

Plut. significare voluit Plutarc. in lib. Bruta animalia ratione vti, his verbis, *Vestras libidines natura, quamquam legis auxilio fulta, tamen intra suos confines coercere non potest: quia eæ instar fluuij exũdantes, atrocem fœditatem, tumultum, cõfusionemq; natura gignant in re venerea: Nã & Capras, Porcas, Equas inicerunt viri, & fœminæ insano mascularũ bestiarũ amore exacserunt; ex huiusmodi enim coitibus vobis sunt Minotauri, Syluani, seu Ægipanes, atque vt mea fert sententia, etiam Sphinges, & Centauri nati*; quibus fortè voluerunt annuere Pythagoras, & qui cum eo tenuerunt, animas hominum migrare, & transire per varia corpora brutorum,

Theup. & ferarum; Nam, vt animaduertit Theupol. lib. 4. Acca-

dem.

dem.contempl.cap.10.*Homines ferarum vitam ducentes, in feras transire dicuntur*, & quid tandem mirum, quod etiã erga bestias, & feras, cum etiam erga marmora, & saxa insaniat iste Amor? Nam, quemadmodum circa Pyrenęos Montes, vt testatur *A*then.lib.13.nu.299.& seq.bos vaccã æneam, & ad viuum extructam, tanquam coiturus cõscendit, pictasq; Canes, Columbas, & *A*nseres fœminas inierunt Canes, Columbi, & *A*nseres masculi, ita etiam Cleisophus Selimbriacus in Samo adeo amauit statuã è marmore confectam, vt in templo sæpè seipsum absconderet, cum ea coeundi gratia, sed ob saxi frigiditatem impeditus, illam tandem amare destitit: qua de re ista carmina refert ibidem Athen.ex Alexi: *Athen.*

Factum est, vt aiunt; hoc in Samo,
Saxeam homo quidam Virginem
Expetiuit, occlusitque in Templo se se.

Item ex Philomone.

At olim in Samo marmoream statuam
Homo quidam amauit, deinde in Templo se inclusit.

Delphis alius quidam insanus in Templo pollutus est cũ *S*axeo puero, ac illi pro mercede coronam dono dedit, ac appẽdit: Delphisq; consultantibus Deum Templi, qua pęna esset iste puniendus, respondit, vt illum impunitum mitterent, quia puero mercedem persoluerat. Similẽ quoque insaniam refert Plin.Hist.nat.lib.36.cap.5. Praxiteles enim Sculptor egregius fecerat è marmore Ventrem adeo pulchram, vt in ea non solũ artem, sed se ipsum quoque facile superauerit; nulla fuit in toto Orbe terrarum pulchrior statua; ea sola nobilitauit Gnidum, vt propter eam, eiusque solũ videndæ causa multi eò nauigarint. Vo- *Plin.*

luit

luit eam mercari Rex Nicomedes à Gnidijs, promittens pro pretio soluturũ omne ęs alienũ Ciuitatis, quod erat ingens: recusarũt ipsi conditionẽ, quamquã in maxima egestate constituti, pluris eã facientes, quã omnes alias facultates; nec quidẽ immerito, cũ ea sola famosi fuerint Gnidij: *huius ergo ferunt*, inquit Plin. *Amore captũ quẽdam, & cũ deli tuißet noctu, simulacro cohæsisse, eiusq; cupiditatis indicẽ esse maculã in statua relictã*: hoc idem quoq; refert Vincẽt. Chart. de antiq. Deor. Imag. de Imaginè Veneris, fortè hinc mutuatus; nam ijsdem vtitur verbis, licet obticeat Plinium, sicut etiã Ælianus lib. 2. cap. 14. de Xerxe amãte platanũ: *Ridendus profectò Xerxes ille est, quod cum mari, terrisque, Iouis operibus posthabitis, noua itinera, & insolitam nauigationem sibi parasset, seruiuit platano, & arborem coluit: sed & multiplicem, ac pretiosum ornatum ex ea suspendit, torquibus armillisque; ramos veneratus, & curatorem ei reliquit quasi custodem, & propugnatorem Amasiæ*. & lib. 9. cap. 39. *Quis negit hos Amores & ridiculos esse, & absurdos? Primũ Xerxis, quòd platani Amore capiebatur: deinde cuiusdã adolescẽtis Atheniensis honestò loco nati, qui statuã bonæ fortunæ ad Prytaneũ stantem deperibat, & sæpè in cõplexis eius se insinuans, oscula dabat, atq; inde raptus in furorem propter cupiditatem percitus, in Senatũ venit, & enixè rogauit, vt sibi eã liceret, vtcũque magno emere: At cũ nihil proficeret, multis redimita tenijs, & coronis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaq; pretioso vestitu exornata, profusis innumerabilibus lacrimis, ipse sibi mortẽ consciuit*. potest ne adhuc etiam magis insanire iste Amor? vel, vt verius dicam, homo per hũc iã insanum Amorem?

Præterea iste Amor acumẽ ingenij ita subuertit, vt omnes virtutes, & sciẽtias nostras maximè corrumpat, ac dissipet;

ſipet, quod etiam voluerunt ſignificare Antiqui illi fabularum inuentores, dum finxerunt inter Venerem Deam, & Matrem huius Amoris, & inter Mineruam Deam ſcientiarum, & Muſas perpetuam fuiſſe inimicitiã, quaſi quod nõ cõueniãt, nec in vna ſede morentur ſcientia, & Venus. Vnde & Stobæus de Vener. & Amor. Serm. 61. parte prima, ex Muſicio. Stobęus.

Venus ad muſas dixit, ò puellæ Venerem
Colite, aut Amorem contra vos armabo:
Et Muſæ ad venerem: morti iſtos lepores narrato,
Nobis enim ille Puer non volat.

Amplius iſte Amor in tanta, ac tali fluctuatione, ambiguitate, & perplexitate ponit Amantem, vt nec etiam ipſemet ſciat, quid velit, nec poſſit deliberare, cui nam parti debeat ſe applicare, ſed Maris in modum, modo huc modo illuc incõſtãtiſſimè fluctuat, ac rapitur, prout elegãtiſſimè explicat Plaut. in Ciſtell. act. 2. Scen. p. his verbis. Plaut.

Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in Amoris rota miſer:
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior; ita nullam mentem
Animi habeo: vbi sũ, ibi non sũ, vbi nõ ſum, ibi eſt animus,
Ita mihi omnia ingenia ſunt: quod lubet, non lubet iam id continuo;
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur: quod dat, non dat, deludit;
Modo quod ſuaſit, diſſuaſit, quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritumis moribus mecum experitur; ita meum frangit amantem Animum.

Et Stobęus in vituperat Vener. Serm. 61. vol. 1. de Amo

Strobæus. re, & Amante. *Quid sit, quod oderit simul, & amet; fugiat, & persequatur; minetur, & supplicet; irascatur, & misereatur; desinere uelit, ac nolit; eadem re maximè tum gaudeat, tum tristetur: Amantium veri sunt affectus: amant, oderunt; eundem absentē desiderant, præsentē metuunt; adulantur, conuicia dicunt: pro Amato moriuntur, occidunt: optant non amare, abstinere Amore nolunt; emendant, & obcæcant; docent, ac perdunt; imperare volunt, & seruitutem tolerant.* Vnde & Augerian. in quodam Epigram. de Amore, prout refer-

Alciat. tur in expositione Emblem. Alciat. 113. dicit, ideo fingi Venerem natam ex mari, quia Amans, vt Vnda maris fluctuat; adeo vt inconstantia possit dici Mater Amoris; versus sunt isti.

Cur maris è fluctu prognata est Mater? Amator,
Vt mota in salsis fluctuat vnda Vadis.

Athen. Hinc refert Athenæus lib. 13. num. 179. ex Aristoph. Amorem fuisse ob suam petulantiam, ac insolentiā è Cōcilio Deorum expulsum, ac in Terris relegatum, quia in Cœlis Deos omnes conturbabat, ac inter illos seditiones excitabat, alasque illi præcidentes, ne iterum possit in Cœlum volare, illas Victoriæ gestandas dederunt, ibi:

Tum etiam iusto decreto est eiectus
A Dijs ex Concilio duodecim Amor suo merito:
Illos enim conturbabat, excitabatque seditiones,
Si quando vna cum illis esset: quapropter nimis audaci,
Ac petulanti & superbo alas præciderunt,
Ne in Cœlum iterum volare posset:
Et damnatum exilio huc ad nos depulerunt:
Ablatas vero pennas gestandas Victoriæ
Dederunt.

Dederunt, præclara hostis spolia.

Ex quibus videre potes, an bonus, vel malus, noceat, an prosit iste Amor. Immo & Virtutes etiam illas, quas diximus homines adipisci virtute huius Amoris, iste Amor maxime corrumpit, & labefactat; & quod attinet ad fortitudinem, eam iste Amor maximè eneruat: fortitudo enim consistit etiam in viribus corporis, & otio corrumpitur: iste autem Amor maximè otio delectatur. Vnde à quibusdam otium dicitur Pater Amoris, & sine otio non solum moritur, sed nec etiam potest generari Amor, ex Ouid. lib. 1. de remed. Amoris. *Ouid.*

Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis:
Hæc vt ames faciunt, hæc vt fecere, tuentur,
Hæc sunt iucundi causa, cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis Arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.
Quam Platanus riuo gaudet, quam Populus vnda,
Et quam limosa canna palustris humo.
Tam Venus otia amat; finem qui quæris Amoris,
Cedit Amor rebus, res age, tutus eris.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,
Da vacuæ menti, quo teneatur opus.
Quæritur Aegisthus, quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.
Quod potuit, fecit, ne nil ageretur, amauit,
Sic venit ille Puer, sic Puer ille manet.

Et Achilles Bocchius, prout etiam retulimus supra capit. primo. *Bocch.*

Vrentes pariunt semper lenta otia Amores;
Vnde est mors viuens, irrequieta quies.

Petrarc. Hinc & Franciscus Petrarcha Triumpho 1. Amoris.

Ei nacque d'otio, e di lasciuia humana,
Nodrito di pensier dolci, e soaui,
Fatto Signor'e Dio da gente vana.

Vnde & non immerito dicebat Diogenes, *Amorem nil aliud esse, quam Ociosorum negocium.* otium autem maximè corrumpit omnes, tam animi, quam corporis vires, &, vt inquit Pllutarc. in lib. an recte dictum sit latenter esse viuendum, *quies alta, vitaque in otio deposita, non corpora modo, sed & animos tabefacit; & sicut aquæ latentes sub vmbra, ac non fluentes putrescunt, ita in vita motuum expertæ facultates hominibus insitæ, consenescunt, & pereunt.* Vnde & Iose- Langius ph. Lang. in sua noua Polyanthęa verbo Otium, refert ex Baptist. Mant. ista carmina.

Calcar erit segni, pigros rubigine sentus
Otia corrodunt, sopitaque pectora torpor
Noxius obliquat: ferrum si transit in vsus
Assiduo splendore micat, vultuque nitenti
Audet ad argenti Deus aspirare superbum:
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in scabiem, celerique absumitur æuo.

Ouid. Et Ouid. de Pont. lib. primo, eleg. 6.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus?
Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ?

Quod & ex historijs clarissimè colligitur: Hercules ob amorē Ioles languens, fortitudinisq; oblitus, inter Ancil Senec. las Mœonias colo, & fuso fila ducebat. Vnde Senec. in Hip pol.

pol. act. primo, in Choro,

Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium Leonis,
Passus aptari digitis smaragdos,
Et dari legem rudibus capillis:
Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco:
Et manu, clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit, properante fuso.
Vidit Perses, ditisque ferax
Lydia Regni, deiecta feri
Terga Leonis, humerisque quibus
Sederat alti Regia Cœli,
Tenuem Tyrio stamine pallam.

Et in Hercul. Oet. act. 2. Scen. prima.

Et Amore captus ad leues sedit colos,
Vdum feroci stamen intorquens manu:
Nempe illa ceruix spolia deposuit feræ,
Crinemque Mitra pressit, & famulus stetit,
Hirtam Sabæa Marcidus Myrrha coram.

Quod explicans Tass. Cant. 16. stanz. 3. ita cecinit. *Tass.*

Mirarsi quì frà le Meonie Ancelle,
Fauoleggiar con la Conocchia Alcide,
Se l'Inferno espugnò, resse le stelle,
Hor torce il fuso, Amor sel guarda, e ride.

Idem, vt idem refert Plutar. in lib. Bruta animalia ratione vti, *imberbem sectans Amasium, deseruit optimos Socios, classemque, & institutum prodidit:* Hannibali, ac eius exercitui, quo nullum vnquam ferociorem Pop. Rom. senserat, *Plutar.*

ita nocuerunt Campanæ deliciæ, & voluptates, inter quas credendum est etiam adfuisse voluptates venereas, vt eĩ plus damni intulerint istæ deliciæ, quam omnis potentia, & armati exercitus Romanorum ibi: *Miles*, inquit Plutarc. in vita illius, *aßuetus sub dio vitam agere, frigus, famem sitim patienti animo tollerare, cum variæ species voluptatum sibi quotidiè offerentur, breui ex strenuo ignauus, ex forti timidus, ex solerti iners, mollisque euasit; corrumpunt enim blandæ voluptates omne robur animi, indolemque virtutis, ingenium labefactant, consilium eripiunt, quo quid perniciosius humano generi afferri potest?*

Et magnus ille Antiochus, qui ob præclarã in re militari virtutẽ, ac fortitudinẽ, ijsque solis confisus promiserat, vt testatur Athen. lib. 10. num. 217. & Græcis libertatẽ redditurũ, & Romanis bellũ illaturum, captus deinde tamen Amore cuiusdam Virginis Chalcidensis omnium suæ ętatis pulcherrimæ, hyemem totam in istis voluptatibus consumpsit, nec de belli apparatu cogitauit: Cum vero postea commissa pugna, tandem fuisset à Romanis profligatus, cum Amata in Ephesum profugit: & M. Antonius fortissimus & Imperator, & Miles, cum de totius Orbis terrarum Imperio cum Cęsare certaret, ac probabiliorem spem Victoriæ haberet, ob maiorem numerum Militum, nec magis in hanc, quam in illam partem Victoria inclinaret, fugientem tamen Cleopatram amatam sequi, quam de dominio totius Mundi certare, ac forte etiam eo potiri maluit; quod, vt asseruit Plutarc. in vita illius, ita elegantissime explicuit Tass. loc. cit. stanz. 5. his verbis.

Ecco ne punto ancor la pugna inchina,

Athen.

Tass.

Ecco

Ecco fuggir la Barbara Reina
E fugge Antonio, e lasciar può la speme
De l'Imperio del Mondo, oue egli aspira:
Non fugge nò, non teme il fier, non teme,
Ma segue lei, che fugge, e seco il tira.

Et quid tandem plura? *cum Mars ipse,* vt testatur Athe. lib. 12. in princ. *fortissimus, ac generosissimus, ab imbelli præcipue Vulcano impeditur, & alligatur, impudentiæ damnatus, & eo mulctatus dedecore, quod illicitis Amoribus se tradidisset.* Immo & ipse Amor, qui tantæ fortitudinis asserebatur, vt & Martem, omnesque alios Deos ipse solus sæpe superare potuerit, à Poetis tamen fingitur sæpe graues dedisse pœnas; ab ijsdemque castigatus; ac flagellatus, quas ipse aliquando cruciauerat, vt constat ex elegantissimo Auson. Edyl. secundo vbi fingit, quod cum Amor incautus, ac imprudens ad Campos Elysios volasset, Myrteamq; Syluam intrasset, vbi aderant omnes illæ Amantes, quæ propter insaniam Amoris, graues poenas passę erant, Phædra, Dido, Ero, Pasiphae, Tysbe, cœteræque omnes, quę propter Amorem, mortem obierant, statim ac illum agnouerunt (licet habitu, ac regijs bullis ornatum, agnouerunt tamen communem hostem, communem reum, tormentorum causam communem) concordes in illum ruerunt, ac cum cæpissent, Myrto manibus retro ligatis illum suspendentes, vnaquæque illum eodem genere pœnæ affecit, quo ab ea affecta erat, ac se ipsas vlciscentes illum vario tormẽtorum genere castigarunt. *Athen.*

Vt quo quæque perijt, studeat punire dolorem.

Immo & ipsa Mater Amoris Venus, cum ad tumultum

accurrisset, ac filium iam pendentem agnouisset, non ei auxiliata est, sed immo materni affectus oblita, magis illas animabat, vt magis castigarent, ac & ipsa etiam accurrens, ac fremens, eodem tempore crudelis, & pia, vindictæ simul, ac Amoris ebria, decenti flagello ostendit confusum, mixtumque odio, & Amore affectum; Nam Serto roseo arrepto, idest corona ex rosis confecta, illum (grauiora quidem pauentem) grauiter simul, ac leniter flagellauit, quærens, & accusans, quod eius causa tanto dedecore à marito Vulcano simul cum Marte amato deprehensa in adulterio fuisset; quam cum viderent aliæ amantes nimium in proprium filium, communemque, sed tamen etiam dulcem, ac amatum Tyrannum, irasci, timentes ne maiores pœnas à Matre, quam ab ipsis, puer amatus daret, ac forte etiam mœreretur, ex inimicis statim factæ Amicæ, pro eo apud Matrem intercedunt, vt tandem castigationis finem faciat, ac illum dimittat. En, Amantes, ille puer, quem vos toties superum, ac Inferorum esse terrorem prædicatis, Mundi Dominum, totius Amantium ferocitatis causam, fontẽ, ac principiũ, cui vim facere, ac resistere non potestis, vt à paucis mulierculis tenetur, ligatur, appẽditur, illuditur ac flagellatur, erubescite, ac confundamini, vos nõ posse resistere illi, quem paucæ, imbellesque mulieres ligatum, ac appensum tenent: non est vobis Herculis euellenda claua non domandi Leones, non subiugandæ Tigres, non Delphinorum alliganda cauda, vel adęquandus cursus, solum vobis ipsis est facienda vis, vobis ipsis resistendum, ac vobis ipsis soli vos ipsi domandi: vbi illa Amoris ferocia? vbi illa vis, ac insuperabilis potentia? cum à mulieribus teneatur

tur,ac flagelletur:quamnam,quęso,vim præstabit Amanti,si ipse ignauus est,ac imbecillus?

Fortitudinem ergo iste Amor maximè corrumpit;& illa, quam diximus hominibus tribuere, est potius quidam furor,& temeritas,quam propriè,& realiter fortitudo; & est fortitudo in illa re solũ venerea,vt Amata fruatur,& ad illam perueniat,in alijs autem rebus & timidus, & ignauus efficitur omnis Amãs. Vndè Aphthon. in Progymnasm. de confirm.cap. 6. in primo exemplo confirmationis ait. *Quis non videt hac causa cæcum pingi Cupidinem, quod qui huius sagittis sunt saucij, sine sensu, vel mortis viuant, nihil reuereantur, neque Parentes, neque Amicos; nihil exhorreant; neque infamiæ probra, neque vitæ pericula, sed cæcorum more ipsi se præcipitent?* hinc Deinia Vnguentarius,vt narrat Athèn. lib. 12.nu.274.tanto luxu Amori,ac Veneri indulsit,vt in ea re ferè totã substantiam consumpserit; tandemq; ab insania, & cupiditate solutus, dolore, ac expensarum pœnitentia ductus, sibi Virilia amputauit. Quis tantæ dementiæ,ac imbecillitati,nisi iste solus Amor sensitiuus causam præbuit?

Aphthon.

Athen.

Et quod attinet ad liberalitatem, & magnanimitatem, dico quod ista debet dici potius,prodigalitas, quam liberalitas;liberalitas enim versatur circa res honestas, debito tẽpore,loco,persona, & causa,vt docet Cicer.in 2.de offic.& dicit Arist.in 4.Moral.cap. 1. quòd debet dari, & quibus, & quando,& vbi oportet,& honestum est.Vnde Ancar.in cap. 1. extra de donat. circa hanc rem, istos pulcherrimos versus refert.

Cicer. Arist. Ancar.

In petente nouem, sex in donante notanda,

R *Cau-*

Causa, fidesq́, modus, locus, & penuria, tempus;
Aetas, debilitas, causa condigna petentis:
Mens hilaris, festiua manus, adsitq́ facultas,
Dulcior affatus, discretio dantis, & ordo.

Amans autem dans Amatæ, non seruat, neque modum, neque locum, neque tempus; ergo non est propriè liberalis, sed magis prodigus debet appellari; immo quod peius
Arist. est, efficitur auarus omnis Amans; & dicit Arist. in 4. Moral. cap. 1. quod maius malum est Auaritia, quam prodigalitas; auarus erga pauperes, erga cognatos; erga parentes, erga filios, erga vxorẽ, erga se ipsum etiam; abstinet enim se ipsum à multis, & priuat etiam alios, filios, & vxorem, quãdoque victu, & vestitu; immo & furatur etiam sæpius,
Xenoph. vt testatur Xenoph. in instit. Cyri lib. 5. num. 116. vt plus possit donare Amatæ: ergo non est liberalis, sed prodigus, & auarus, & etiam quandoque latro; & propterea inquit Xenoph. ibidem, *quod Amoris studiosi fiunt socordes, futiles, & fures.*

Similiter quod attinet ad Iustitiam, nulla est alia res, quæ magis Iustitiam valeat corrumpere, quam iste effrenatus ardor Amoris; Vnde iure optimo à legibus, & legũ Interpretibus sancitum est, vt Amans non possit ferre testimonium pro Amato, propter malam præsumptionem, & suspicionem; quia Amans omne fas, & nefas pro Amata
Masca. committeret, vt tradit Mascard. de probatio. conclusio. 86. num. 17. volum. 1. Et non solum iste Amor, sed omnis ferè alius Amor, præter diuinũm, præsumitur corrumpere Iustitiam. hinc dicunt Nostri Legistæ, quod Iudex non debet flecti, nec prece, nec pretio, nec odio, nec Amore; &

Amorem

Amorem in iudicijs cœcutire,& cœca esse Amantium iudicia, latè,& eleganter tradit Tiraq.de pœn.temperan.cas. 51.num.81.& seqq. *Amor enim iudicium ignorat,ratione caret,modum nescit,nec aliud cogitare potest,quam quod diligit*; & nonne iste Amor est iniustus, cum semper quærat alienas res,alienas mulieres,& semper alienis rebus sit intentus? Tiraq.

Prudentiam autem maximè corrumpit, & Amans per hunc Amorem efficitur prudens in rebus solum venereis, vt Amata fruatur; in alijs autem rebus imprudentissimus euadit; similiter fit temperans, & castus cum alijs, vt possit esse intemperãtissimus cum Amata; Vnde illa temperantia,quam dicebamus operari hunc Amorem, ex intemperantia nascitur.

Venustatem quidem largitur, & quemdam Spiritum Poeseos,sed omnibus alijs scientijs, & disciplinis est omnino contrarius;& acuit ingenium in rebus solum Venereis, in omnibus autem alijs rebus maxime obtundit:Quæ omnia, sicut ex supradictis iam clarissimè constat, ita adhuc clarius apparebunt,si adijciantur ea, quæ à Viris doctis referuntur in expositione Emblemat.Alciat.113.ex Marullo,& Augeriano in picturam Amoris; inquit Marul. Alciat. Marul.

Quis Puer hic? Veneris: plenæ quæ causa pharetræ est?
Non benè prouisus certa quod Arma mouet.
Cur sine veste Deus? simplex puer odit apertum.
Vndè Puer? Pueros quod facit ipse Senes.
Quis pennas humeris dedit? inconstantia. quare
Nulla Deo frons est? signa inimica fugit.
Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido.
Cur macies? vigilis cura, dolorq; facit.

Quis cæcum præit? ebrietas, sopor, otia, luxus.
Qui Comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.
Qui Cælo dignati? homines. quæ causa coegit?
Mitior auctore est credita culpa Deo.
Heu curuum genus, & veri corda inscia: quo iis,
Fasq; scelus miseri, si scelere abluimus?

Augeri. Augerian. verò.

Angelus inuicta, qui cuspide semper oberras,
Dic mihi, te nudum cur tua Mater alit?
Nudo homines, qui nostra petunt delubra rubenti.
Cur stant in dextra spicula? trado necem.
Cur Puer es? pueros facio quoscunq; sagittis
Saucio, siuè volans, ignibus vro meis.
Ventosas humeris cur fixit turpiter alas?
Est quouis leuior flamine, quisquis amat.
Cur tecum faculæ? quia viuida corda, fretumq;,
Et iuga montosa, scrupea saxa cremo.
Cæcus es? an claro dic lumine? Cæcus Amator,
Non ego, luce Poli lux mea clara magis.
Pasceris ambrosia, seu nectare? pascor amœnis
Blanditijs, risu, sedulitate, iocis.
Cur tibi pulchra parens? quia densos forma calores,
Ingenerat, formæ munere nascor ego.
Cur maris è fluctu prognata est mater? Amator
Vt mota in salsis fluctuat vnda vadis.

Cuius naturam, & affectus gratiosissimè quoque expressit elegantissimus Moschus Poeta Græcus, dum in suo quodam poemate introducit Venerem Matrem inquirentem Amorem filium errantem, & fugitiuum his verbis, prout refert

refert Vincent. Chartar. de Imagin. Deor. antiq. de Imagin. Cupidin.

Cum Venus intento Natum clamore vocaret.
Si quisquam in triuijs errantem vidit Amorem;
Hic fugitiuus, ait, meus est: pretium feret index:
Insignis puer est, totam hanc cognosce figuram;
Corpore non niueus, verum ignem imitatur, ocelli
Acres, flammeoli; mala mens; suauissima verba;
Quod loquitur; non sentit idem: vox mellea, sed cum
Ira inflammatur, tum mens illi effera: fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.
Crispulus est illi vertex, faciesq; proterua;
Exiguæq; manus, procul autem spicula torquet:
Torquet in vmbriferũq; Acheronta, & Regna silentũ.
Membra quidem nudus, mentem velatus, auisq;
More citans pennas, nunc hos, nunc aduolat illos,
Sæpe viri præssans præcordia, sæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, super arcu imposta sagitta est:
Parua sagitta quidem, sed Cælum fertur adusq;
Parua faretra olli dependet, & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruus
Me quoq; sæpe ferit Matrem: sunt omnia sæua.
Omnia, seq; ipsum multò quoq; sæuius angit:
Paruula fax olli, sed & ipsum Hyperiona vincit:
Verbere, si prendes, age; ne miserare puellum:
Si flentem aspicias, ne mox fallare caueto:
Sin arridebit, magis attrahe: & oscula si fors
Ferre volet, fugito: sunt oscula noxia, in ipsis
Suntq; venena labris, si fors ita dixerit, heus tu

Accipe,

Accipe, nempè tibi cuncta hec mea largior arma:
Ne quicquam attigeris fallacia munera Amoris:
Omnia namq; igni sunt infecta illius arma.

Refert quoque Stobæus de Vener. & Amor. serm. 61. par. 1 iuxta versionem Eobani Hessi, sed solum cum aliqua differentia verborum.

Ex quibus iam satis, superq; manifestum est, quod iste Amor virtutes omnes maximè corrumpit, quamplurimorum autem est causa malorum: ergo omnino damnãdus, vt perniciosus: ita vt à Plat. iure optimo dicatur, non magnus Deus, sed magnus Dæmon; nec magnus Dæmon, dico ego, secundum acceptionem Platonis, sed magnus Dæmon, secundum veritatem nostræ fidei, & infernalis spiritus: nec Minister Deorum, vt dicebat Plutarch. hominibus exhibitus pro cura, & conseruatione Iuuentutis; sed Minister Dæmonium, dico ego, & inferni verius dici valet, ad perniciem, & ruinam Iuuentutis, & hominum.

Resolutio difficultatis. Cap. VII.

QVid dicemus? vituperabimus ne omnino hũc Amorem? nequaquam certè; notum est enim illud, quod Homero, & Stesichoro egregijs Poetis accidisse testatur Plato in Phædro: scripserat enim vterque eorum vituperationem in Helenam, vnde etiam vterque eorum fuerat excœcatus; sed Stesichorus causam cœcitatis agnoscens, se retractauit, & propterea etiam visum recepit: Homerus autem non agnoscens eam, se ipsum non retractauit, & cœcus remansit: caueamus ergo, & nos, ne vituperemus

Plato.

mus

mus Amorem, ne cum ipse pingatur cœcus, etiam, & nos cœcos efficiat.

Igitur pro concordia dicamus, hunc Amorem esse bonum, & esse malum, & producere aliquos effectus bonos, & aliquos malos: Si namque consideremus intentionem, & finem naturæ, & intellectu percipiamus, quatenus Natura vtitur isto Amore, tamquam condimento, & instrumento ad conseruationem specierum, tunc est bonus, quia hoc respectu, bonos producit effectus; si vero illum consideramus, quatenus ob inordinatos sensus, & effrenatam libidinem, ad insaniam nos, & furorem sæpe perducit, tunc est malus, & mali sunt effectus illius: in se iste Amor est bonus, si illo nos vteremur ad illum finem, pro quo à Natura Animalibus fuit inditus: per relationem verò ad nos, quatenus nos eo malè vtimur, & fines, & intentionem Naturæ egredimur, tunc est malus; sed potius nos tunc sumus mali, qui eo male vtimur; in se ergo, quoad rationem, & intellectum est bonus, quoad nos, & quoad sensum, & corpus, est malus. Hinc Stobæus de Vener. & Amor. serm. 61. par. 1. ex Euripid. Stobæus

Quod si rectè admittatur Venus, iucundissimũ eius donũ fit, intollerabilis Venus est, si abundauerit.

Et ex Luciano.

Non Amor iniurius est humano generi, sed luxuriosi
Hominum Animi, illum prætexunt.

Præterea bonus est vni, malus autem alteri, ob diuersitatem personarum. Vndè Publius Syrus de Amore, & fœmina, inquit: Publ. Syrus.

Amare, Iuueni fructus est, crimen seni,

Hinc

D. Aug. Hinc Diuus August. in lib. de Spir. & Anim. cap. 45. & in lib. de substant. dilect. cap. 2. dicit, quod nec qui amat, nec quod amatur, nec ipse Amor est malus, sed quia ille, qui amat, malè quandoque amat, ideo malus Amor, & Amans, & Amatus dici potest.

Vel possumus dicere, quod si eo parcè vtamur, moderatè, &, vt dicitur, vsque ad aliquid, est bonus; quatenus vero non seruamus modum, sed immergimur, est malus. quia est causa horum malorum: Assimilatur enim iste Amor igni, & dicitur sæpè ignis, flamma, ardor, vt inquit Xenophon. de institu. Cyri. lib. 1. num. 115. & ex eodem Xenophon. refertur in expositione Emblem. 107. Alciat. *Amorem esse ipso igne torrentiorem, & feruidiorem. Nam ignis tangentem solum vrit, & vicinia depascitur, Amoris ignis etiam in procul intuentes, & longo terrarum tractu dissitos, ardentes suos radios vibrat*, hinc Ouidius 1. Amor. eleg. 10.

Xenoph. Ouid.

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Igitur isto Amore vtedum, sicut vtimur igne; ignis enim, si te in debita distantia illi approximes, te calefaciet, te iuuabit; si autem te nimium approximes, non iuuabit, sed nocebit, & te comburet etiam, item si moderatè, & exiguo tempore apud ignem moreris, te reficiet, & sopitos spiritus excitabit; si autẽ diutius ibi moreris, te pigrum facit ignis, & languentem reddit; ita & Amor, si aliquantisper ames, & Amori moderatè, & in debita distantia accedas, te iuuabit; animum .n. languentẽ excitat, spiritus suscitat, venustatem tribuit, rusticitatem amouet, familiaritatem conciliat, mansuetudinem porrigit, exterminat feritatem, beneuolum, & amabilem facit, spiritus Poesis, Musicæ, & cantus

aliquos tribuit. Vndè Plat.in Phœd. ait,quod Amor fingitur alatus, quia nos eleuat, & attollit ad Virtutem: si verò diutius in isto Amore maneas, eo immoderatè vtaris, te immergas,& nimium te approximes,tunc maximè nocet, & virtutes omnes, animum, & corpus, & facultates etiam pessundabit:Vndè & Athenæus lib. 13.num.279.non immerito inquit:*Amorem ita misceri,vt vinum,quod bibimus: temperatum enim, festiuum, & comem esse: intensiorem autem perturbare summa cum molestia:* & Stobæus in Vituper. Vener.serm.62.volum.1. *Cupiditas geminata fit Amor, geminatus Amor fit furor; incipit à cupiditate, desinit in insaniam: expelle feram abs te, priusquam vngues, & dentes emittat; sed qui nam Amoris dentes, & vngues? Suspicio, & Zelotypia: Amor enim neque subito, & vniuersim gignitur, vt ira, neque statim transit, quamuis alatum esse fama sit: sed paulatim accenditur, & lento igne se insinuat: et si animum inuaserit, permanet diutissimè, ita vt in nonnullis, ne senibus quidem desinat, adhuc in canis durans, vegetus,atque recens; quod si etiam cessauerit,& longo tempore solutus emarcuerit, aut ratione quapiam extinctus fuerit, nõ tamen omnino deserit animam: sed exustam igne materiam relinquit, & signa præteriti caloris,quemadmodum fulmina ardentia:* expelle igitur ferã, priusquã vngues,& dentes emittat.propterea Ariost.Cant. 24. cõsulit cito euigilandũ, & expergiscendum,his verbis.

Plat.

Athen.

Stobæus

Ariost.

Chi mette il piè sù l'amorosa pania,
Cerchi ritrarlo, & non inueschi l'ale:
Che non è in somma Amor, se non insania,
A giudicio de Saui vniuersale.

cautè enim,& cito expergiscendum, nec diutius immorã-

dum; & hanc tandem litem, an bonus, vel malus, & quando bonus, & quando malus sit iste Amor, elegantissimè explicat Guari. in sua Fab. past. Act. 3. in Choro, his verbis.

Guar. *Chi sà gl'ardori, che'l tuo foco accende*
Importuni, e lasciui,
Dirà, spirto mortal tu regni, & viui
Ne la corporea salma:
Ma chi sà poi, come à virtù l'Amante,
Si desti, e come soglia
Farsi al suo foco, ogni sfrenata voglia
Subito spenta, pallido, e tremante
Dirà, spirto immortal hai tu ne l'Alma
Il tuo solo, e santissimo ricetto:
Raro Mostro, e mirabile: d'humano,
E di diuino aspetto,
Di veder cieco, e di sauer insano.
Di senso, e d'intelletto
Di ragione, e desio confuso affetto.

Vndè, & Athe. lib. 13. nu. 279. de Amore loquens refert:

Athena. *Nec enim mas ille est, nec fœmina,*
Nec Deus, nec homo, nec fatuus,
Nec prudens; sed coagmentatus
Ex omnibus, in vno exemplari multas ostendens species;
Nam eius virilis est audacia, muliebris vero timiditas;
Amentia furiosa: ratio
Cordata, & circumspecta: ferina vehementia: labor
Indomitus: ambitio prodigiosa, & admiratione digna.

Vnde & in expositione Emblem. Alciat. 107. dicitur: *non Amor est, qui afficiat iniuria humanum genus, sed intem-*

perantes

perantes; animis enim hominum hanc occasionẽ præstat Amor. Non Amor, qualis à Poetis celebratur, fictitius ille pusio, lædit homines, sed intemperantia; Itaut iste Amor per varios respectus possit dici bonus, & malus, vtilis, & damnosus, sapiẽs, insipiens, prudens, & demens, fortis, & imbecillus; quatenus reperitur in natura, in ratione, in intellectu, & in sensu, in corpore & malo vsu. Hinc inter Carmina Anacreontis Poetæ vetustissimi in amorem,

Et non amare, durum est Anacre.
Et est amare, durum:
Durissima omnium res,
Amare, & non potiri.

Durũ est, & malũ non amare, quia si nõ amas, nõ excitaris: malũ est ẽt, & durũ amare, quia si nimiũ amas, periclitaris: Igit̃ & non amare, & amare malũ, & amare, & nõ amare bonũ; quatenus, si modũ seruas, vel excedis, bonũ etiam, vel malũ amare, vel amorẽ denominas. Et illę auctoritates Plat. & Plutar. hi sũt verę de suo Amore solũ, qui est diuersus ab hoc, de quo nunc nos tractamus, vt infra videbimus.

Quodnam sit in Amore præstantius, amare, vel amari, & quinam sit Amantium præstantior, Amans, vel potius Amatus. Cap. VIII.

BReuior quidem erit ista discussio, sed tamen subtilior, & difficilior: ideo in ea vos attẽtos, & diligentes cupio. Quod debeat præferri Amatus, videtur posse probari istis rationibus. Primo illud, quod alterum desiderat, tanquam sibi bonum, & eo indiget, est etiam eo ignobilius, quatenus est destitutum eo bono, quod desiderat: sed A-

mans desiderat Amatum, tanquam sibi bonum, & fruibilem; ergo in *A*mato reperitur aliquod bonum, quo Amãs indiget; ergo etiam *A*mans ignobilior, quippe qui est destitutus eo bono, quod ab Amato desiderat. Præterea in or
Arist. dine causarum, finis semper continet conditionem boni, & optimi, vt ait *A*rist. in 2. Physic. Tex. 23. & 31; & 2. Metaphys. Tex. 8. & in quinto Metaph. Tex. 3. & est potentior, & nobilior cæteris tendentibus ad finem. Vndè propterea finis appellatur causa causarum, cuius gratia cætera omnia agunt: at Amans desiderat Amatũ tanquam bonum, & tanquam finem suæ fruitionis, à quo solo sæpè dicunt *A*mantes posse beari, & in quo solo ponunt totam suam quietem, & beatitudinem: vndè etiam Amantes Amatum appellant Deum, Deam, Paradisum, & similes huius generis insanias proferunt; ergo *A*matus tanquã finis, est bonus, & optimus; *A*mans autem, quippe qui tendat ad *A*matum, non habet tantam conditionem boni; ergo est etiam ignobilior; ergo Amatus nobilior, & præstantior, quippe qui præstantiori conditione præditus, solus potest beare *A*mantem.

Plato. Præterea, ex sententia Plat. in Phædro, & alibi, vt infra videbimus, Amatus in hoc iuuat Amantem, quatenus est causa, vt excitetur ad diuina, & incipiat perfici; ergo tota perfectio Amantis pendet à perfectione *A*mati; ergo *A*matus præstantior. Præterea idem Plat. in Sympos. in orat. Socrat. vt etiam diximus supra cap. 2. dicit, quod *A*mor nascitur ex Poro, & Penia, hoc est ex copia, & inopia; Porus, & copia consideratur respectu Amati, Penia vero, & inopia ex parte *A*mantis: Porus, & copia est prestãtior,

& nobi-

& nobilior, quam Penia, & inopia; ergo etiam *A*matus no bilior, quam Penia, & inopia; ergo etiam Amatus nobilior, & præstantior. Quinto, ex sententia Arist. in 3. de Anim. Tex. 19. agens est nobilius patiente: sed Amatus in Amore est agens, Amans autem patiens; ergo Amatus nobilior: probatur Minor; Nam *A*mor inter Animæ perturbationes numeratur, vndè supra cap. primo definitus fuit, quod sit affectio Animæ desiderans bonum, & hic Amor in Amante residet; ergo in eo reperitur ista Animæ perturbatio, vt inquit *Arist.* 7. Eudem. cap. 4. *Nam opus eius actus est, qui non extra, sed in ipso Amante consistit, cum potentia extra, vel in alio insit, vel diuersum saltem existat; quocirca in* Amante*, non in Amato gaudium est*, ergo Amans in *A*more patitur: hincaudis Amantes, quomodo sæpè conquerantur de *A*mato, quod illos nimium angit, & cruciat, & quod eorum vita est similis inferno, propter dolores, & cruciatus, quos patiuntur vehementissimos; ergo Amans est patiens, & *A*matus est agens; ergo *A*matus nobilior. *Arist.* *Arist.*

*A*t nos prouectioris ætatis, qui non amplius amari, sed solum amare valemus, vt nostras partes, & insignia tueamur, tenemur omnino pro viribus nostris defendere, *A*mantem esse præstantiorem: & propterea etiam Ego, ne cæteris *A*mantibus, videar esse minus Amans, pro *A*mante sic arguo, & milito. Nam sicut ex sententia Arist. in primo de Anim. Tex. primo, vna scientia dicitur nobilior altera, vel ratione certitudinis, vel ratione nobilitatis subiecti, quod consideratur; ita etiam, quia in Philosophia Amoris, subiectum Amantis est nobilius, quam subiectum *A*mati, propterea *A*mans debet iudicari *A*mato præstãtior; *Arist.*

& pro-

& probatur Minor; Nam cum Amatus excitet, & moueat solum rationes suæ pulchritudinis, quæ consistit in proportionata partium dispositione cum debito colore, iam in Amore subiectum Amati est quid materiale, & corruptibile: Amans autem, quia animo, & intellectu cōsiderat illam pulchritudinem Amati, iam amando, suam animā exercet, & in Amore subiectum Amantis est anima Amantis: At anima Amantis est debilior, quam pulchritudo Amati; ergo Amans cò est Amato præstantior, quò Anima illius est pręstātior pulchritudine Amati: & sicut in Phęd.
Plat. putat Plato, quod quidquid agit homo, sola anima agat, quia corpus est solummodo instrumentum Animæ, vnde ille definit hominem, quod sit Anima corpore vtens; ergo etiam in Amore sola Anima Amantis est amans, ex sententia illius; ergo est etiam nobilior Amans Amato. Et
Arist. Arist. dicit, quod actiones sunt suppositorum, & quod quicquid facit homo, facit tam anima, quam corpore; Vnde ex sententia illius dicere, animam solam intelligere, esset dicere, Animam texere, vel ædificare, ex primo de Anima Tex. 64. ergo etiam quando homo amat, totus amat, tam anima, quam corpore, & in Amato amatur solum quid materiale; ergo subiectum Amantis in Amore est nobilius, quam subiectum Amati; ergo etiam Amans est Amato præstantior.

Plat. Præterea, ex sententia Plat. in Phæd. & alibi, Amor in hoc iuuat Amantem, quod anima Amantis excitata per pulchritudinem Amati, iam incipit attolli ad contemplationem diuinorum, & sic perficitur: Amatus autem solum cum non amet, nec etiam eleuatur, & ideo non perficitur; ergo

ergo Amans præstantior, quia iam magis perficitur, & diuinis magis approximatur. Tertio hoc idem expressissimè testatur idem Pater Amoris Plato in Sympos. in collaud. Phædri his verbis: *Dij enim vehementius admirantur, delectanturq; ac maiora beneficia conferunt, quando Amatus Amatorem tutatur, et diligit, quã cum Amator Amatum: Diuinior est enim Amator Amato, cum diuino furore sit raptus; quamobrem Achillem magis, quam Alcestem honorarunt, illum quippe in beatorum Insulas transmiserunt.* Plato.

Quarto, hoc idem probatur ex irrefragabili auctoritate Arist. in 2. Magn. Moral. cap. 12. dum ait; *At amare melius est, quam amari; si quidem amare voluptatis actio quædam est, & bonum; ab eo autem, quod amatur, nulla actio est; nempe cognoscere melius, quam cognosci; cognosci enim, & amari etiam in carentibus anima existit: at cognoscere, & amare in rebus animatis. Rursus beneficum esse, melius, quam secus, qui amat, quatenus amat, beneficus est, amatus vero, quatenus amatur, non.* In his paucis verbis tres rationes adducit Arist. ad probandum, Amantem esse præstantiorem; prima est, agẽs est melius, & nobilius, quam patiens; at qui amat, agit, qui amatur, nihil agit; ergo Amans nobilior. Secunda, cognoscere est melius, & nobilius, quam cognosci; quia cognosci competit etiam anima carentibus: cognoscere vero solum animatis; at Amans cognoscit, & considerat Amatum, Amatus autem solum cognoscitur; ergo Amans nobilior. Tertia, beneficum esse, & liberalem, melius est, quam non esse: sed Amans, quatenus Amans, est beneficus, & liberalis, Amatus vero quatenus amatus, non est liberalis; ergo Amans est nobilior, quatenus magis quæris Arist.

conferre

Arist. conferre beneficia, quam accipere: Vndè sicut Arist. in 9. Moral. Nichom. cap. 9. inquit, *Amici magis est beneficium conferre, quam accipere: boni item viri, & virtutis est benefacere, & vir probus indiget ijs, qui beneficio afficiantur:* & in 4. Moral. Nicom. cap. 1. inquit. *Atq; idcirco liberalis viri magis est dare, quibus oportet, quam accipere; vndè oportet, & non accipere, vnde non oportet: magis enim beneficio afficere, quã affici, et honesta agere quã nõ agere turpia, virtutis propriũ est:* & c. 4. inquit, *excellẽtius esse potius afficere, quã beneficijs affici:* & Plut. in lib. Maxime Princ. philosoph. ait: *beneficiũ dare, non modo pulchrius, sed etiam iucundius est, quam accipere; maior enim, & purior est lætitia dantis: sæpè enim pudet accipere beneficium, semper autem cum gaudio gratificamur alijs:* ita etiam est præstantius amare quam amari; quatenus qui amat, quatenus amat, est beneficus, & liberalis; etiam supra probatum est, quod Amor facit liberalem: qui vero amatur, quatenus amatur, non est liberalis, nec beneficus; ergo Amans est præstantior, ex quibus apparet minus rectè loquutum fuisse Piccolom. grad 7. Moral. Philos. cap. 14. dũ putauit Arist. minus præferre Amantem, quam faciat Plato, quia immo potius dici posset, q; magis Arist. præferat cum pluribus rationibus id ostendere conetur, vel quod saltem æquè præferat.

Plutar.

Piccol.

Non obstant modo rationes, quæ pro Amato adducebantur: & ad primam respondeo, non esse absolutè verum quod omnis, qui alio indiget, & alium desiderat, sit etiam eo ignobilior; Nam & Princeps desiderat, & indiget seruis; erit ne ergo verum, quod Princeps sit ignobilior seruis? tu indiges, & desideras calceamentum: eris ne ergo tu

calceamento

calceamento ignobilior? quare non est absolutè vera illa propositio, quia potes tu desiderare aliquam rẽ propter vtilitatem, vel delectationem, & tamen non erit verum, quod sis ea re ignobilior: quia differunt hæc duo, esse vtile, & delectabile, & esse nobilius: Amans autem, quia desiderat, & indiget Amato, tanquam sibi vtili, & delectabili, propterea non valet consequentia; ergo est ignobilior Amato; & confirmatur responsio, quia ista omnia, quę facit Amatus, vt desideretur, facit solum tanquam obiectum, obiectiuè, & vt ita loquar, occasionaliter, & instrumentaliter; Vndè sicut obiectum visibile, in Visione est ignobilius facultate vidente, ita etiam Amatus, tanquam obiectum Amabile, in Amore est Amante deterior. Ad secundam similiter respondeo, non esse verum, quod finis sit nobilior cœteris tendentibus ad finem: appetitur quidem, & mouet finis tanquam bonus, & optimus, sed tamen non est coeteris nobilior. Nam omnis Artifex laborat, & Medicus medetur propter pecuniam; erit ne ergo pecunia nobilior Medico, vel Artifice? finis ergo tanquam vtilis, bonus, & optimus appetitur, sed tamen non est alijs pręstantior; Vndè etiam Amatus, quamuis desideretur, & ametur ab Amante, tanquam sibi vtilis, delectabilis, & optimus, non tamen valet consequentia, quod sit Amante præstantior, quia vt dixi, differunt esse vtile, & delectabile, & esse pręstantius; Amatus est quidem delectabilis Amanti: sed non propterea est Amante nobilior.

Ad Tertiam deductam ex Philosophia Platonis, similiter respondeo, quod quamuis Amatus sit tanquam Po-

rus,& copia; non tamen valet consequẽtia, ergo Amans tanquam Penia,& inopia, est deterior Amato; quia differunt Porus, & nobilitas; & Porus pręfert conditionem vtilis, vel delectabilis, sed non tamen præstantioris. Ad aliam rationem Platonicam, quod Amatus sit causa, vt amans excitetur, & perficiatur, respondeo, quod est solũ causa instrumentalis,& occasionalis, & obiectiua; Vnde, sicut, vt dixi, obiectum visibile in visione est facultate vidente deterius, ita etiam Amatus tanquam obiectum amabile in Amore, est Amante deterior.

Ad vltimam, quod Amatus tanquam causa efficiens sit nobilior Amante, tanquam patiente, respondeo, non esse verum, quod Amatus sit agens, quia ex Arist. iam probatum est, Amatum nihil agere: si nihil agit; ergo non potest esse causa efficiens; & si Amans patitur illos vehementissimos cruciatus, vt dicatur viuere in inferno, dico, ꝙ istos dolores non patitur ab Amato, nisi per accidẽs; p se autẽ iste Amãs in se ipsũ agit, qui vanis cogitationibus plura desiderat,& plura sibi proponit, quam possit consequi: vnde dum non ea consequitur, se ipsum angit,& cruciat, sed ab Amato solum obiectiuè; ergo Amatus non est causa agens per se, sed potius Amans dicitur causa efficiens Amoris, vt iam probatum est ex Arist. in d. cap. 12. ex 2. Magn. Moral. ergo potius Amans est nobilior: & in 3. Moral. Nichom. cap. 1. inquit idem Arist. quod si quis dicat, ea, quæ iucundè cum voluptate amantur, cum quadam violentia amari, eo quia principium talis Amoris,& desiderij, sit extra ipsum Amantẽ, & quasi cogant ad amandum, ridiculus erit, quia non in exter-

Arist.

externa, *ſed in ſe ipſum cauſam debet referre, quod huiſcemodi rebus facilè capiatur*; ergo Amans eſt cauſa efficiens ſui Amoris; ergo etiam hac ratione nobilior.

An Mulier poßit æqualiter amare duos viros; & an vir duas Mulieres, eodem tempore, & eadem ſpecie Amoris. Cap. VIIII.

HÆC tandem eſt illa famoſa quæſtio, ab omnibus deſiderata, à paucis bene intellecta, & à multis tanquam vana, & impoſſibilis neglecta; oportet ergo nos eſſe attentos, & diligentes, & vt dicit Senec. *per locum ſpinoſum ambulantes, ſuſpenſos pedes tenere*: & tu Amor hic præſertim intende aures, quia hic præſertim maximè intendis *A*rcus, deque re tua agitur, & hic præſertim oſtēdis omnipotentiam tuam, & vires. Senec.

Quod igitur videatur impoſſibile, vnum poſſe amare duos, æqualiter, eodem tempore, & eadem ſpecie Amoris ex infraſcriptis ſic oſtendi poteſt. Primo, talis eſt Amor in nobis, quale eſt obiectum amabile: ſed eſt impoſſibile reperiri duo obiecta, omnino inter ſe æqualia, & cum ijſdem omnino qualitatibus; ergo eſt etiam impoſſibile reperiri hunc Amorem omnino æqualem. Probatur minor. Nam indiuiduum eſt illud, cuius qualitates numquam poſſunt eædem in alio reperiri, vt ait Porph. Porphi. in cap. de ſpec. ergo non poterunt reperiri duo obiecta omnino aequalia, & cum ijſdem omnino qualitatibus; ergo nec etiam aequaliter amabilia; ergo nec etiam Amor, pendens è duobus obiectis, non omnino æqualibus,

poterit esse omnino æqualis; cum enim sint plures causæ producentes Amorem ex parte obiecti, pulcritudo, color gratia, dispositio naturalis, & conformitas temperamenti, impossibile est, vnum obiectum habere omnino eandē proportionē, pulchritudinē, gratiā, & colorē, quib⁹ prę ditū est & alterū; ergo etiā est impossibile, quod iste amor à duob⁹ obiectis, nō omnino æqualibus, pueniēs, sit omnino æqualis. Pręterea, Amor, & Amor pręsertim sensitiuus à sensu incipit, per sensū progreditur, ad sensū tēdit; in sensu quiescit, & à cognitione sensus pendet; sed sensus dum sentit vnum sensibile, impossibile est, quod eodē puncto temporis sentiat aliud sensibile; & anima nostra, dum est occupata circa cognitionem vnius rei, non potest eodem tempore aliam cognoscere; & dum oculus videt, & sentit rosam, in illo actu sentiendi, & in illa actuali sensatione, nunquam potest lilium, vel aliam rosam intelligere; ergo est etiam impossibile, quod cum Anima amet per sensum, & cognitionem, dum vnum actualiter amat, quod in eodem actu, amet & alium.

Tertio, propter maximam intensionem Amoris, amans dicitur viuere in Amato, in se ipso mortuus, & in amato solummodo viuens, vt diximus supra cap. 2. sed est impossibile vnam animam viuere in duobus corporibus; ergo est etiam impossibile, vnum amarę duos, æqualiter, & eodem tempore: dum enim amas hāc Mulierem iam tu viuis in illa; & si vis eodem tempore amare aliam iam similiter etiam & in ea viuere debes; quod autem in vtraque viuas, est impossibile; ergo est etiam impossibile, quod ames vtramque: & cōfirmatur, quia Amor di-

citur quædam transformatio transformans Amantem in Amatum, sed est impossibile, quod vnum compositũ subeat duas formas, æquales, & eodem tempore; ergo est etiam impossibile, vnum Amantem posse transformari, æqualiter, et eodem tempore, in duos Amatos. Quarto; Amor est quidam motus ab Amante in amatum, sed vnum mobile nõ potest eodem tempore tendere ad duos terminos distinctos, æqualiter; ergo est etiam impossibile, amantem posse amare duos, eodem tempore, æqualiter, & eadem specie Amoris.

Quinto, pro hac parte adduco ego locum ex Arist. & D.Thom. ibidem in 8. Moral. Nicom. cap. 6. à nemine adhuc ponderatum, & tamen videtur esse irrefragabilis pro hac opinione; dicit enim, quod summus, & perfectus Amor, sicut summa, & perfecta Amicitia nõ potest esse erga multos; quia summus Amor, & summa Amicitia est quædam exuperantia, & excessus: exuperantia autem, & excessus non potest esse circa plures, & in multis, sed circa vnum solum; ergo etiam iste Amor non poterit esse summus, vehemens, & æqualis erga plures; ergo est impossibile vnũ amare duos summo, & ęquali Amore; et nè tedio, & labore videndi Arist. terrearis, en verba illius. *Arist.* *At vero, vt multis quispiam sit Amicus Amicitia perfecta, fieri non potest; quemadmodum, neq; vt Amore multorum simul aliquis capiatur; exuperationi enim simile hoc est: quod autem est huiusmodi, ad vnum spectare natura consueuit; multos vero eidem simul vehementer placere, non facile est, fortasse etiam neq; bonum esse.* & D. Thom. ibidem, *superabundãs* *D.Tho.* *autem Amor non est natus fieri ad multos, sed ad vnum tan-*

tum, sicut patet in Amore venereo, secundum quem non contingit, quod vnus homo simul multas mulieres superabundanter amet; quod iterum repetit idem Arist. 9. Moral. Nicom. cap. 10. his verbis, *neq; enim fieri posse videretur, vt multis vehementer Amicus quispiam sit, id circo neq; vt plurium Amore captus: exuperatio enim Amicitiæ quædam esse consueuit, id autem erga vnum est, & vehementer; igitur erga paucos quoq; erit.* & 7. Eudem. cap. 4. *amare autẽ vnà multos, & ipsum hunc Amorem auertere, impossibile erga plures operari*; & Plutarc, in lib. de Amic. multitud. inquit. *Inuenimus autem binos semper amicos, memoriæ perhibitos, Thæseum, & Pirithoum, Achillem, & Patroclum; Orestem, & Pyladem, Pythiam, & Damonem, Epaminundam, & Pelopidam; & quod dicitur Amicus alter idem, id nil aliud significat, quam binarium esse Amicitiæ mensuram; itaq; valde amare, & amari inter multos locum non habet: sed sicuti Amnes in multos diuisi alueos, imbecilli fluunt, ac tenues: sic vehemens Amor in Animo, si dissipetur in multos, eneruatur.* Ecce ergo, quod in terminis quęstionis nostræ, clarè probatur ex sententia *A*ristot. D. Thom. & Plutar. esse impossibile vnum amare duos. istę sunt principaliores rationes, quæ contra hunc Amorem adduci posse videntur.

Arist. / Plutar. (margin)

Quibus tamen nõ obstantibus, puto esse verissimum quod vnus possit amare duos æqualiter, eodem tempore, & eadem specie Amoris; Primo, ex parte obiecti, quod possint reperiri duo obiecta æqualiter amabilia: omne, quod amatur, amatur sub ratione boni, & pulchri, quod vel in se est realiter amabile, vel saltem amanti videatur amabile. Vnde inquit Arist. 8. Moral. Nicom. capit. 2. *vi-*

Arist. (margin)

detur

detur autem quod ipsi bonum est, amare vnusquisq; & esse quidem, quod absolutè bonum est, amabile; cui vero, quod cuiq; est: at amat vnusquisq; non quod ipsi est bonum, sed quod apparet: sed id nihil refert. Nam amabile apparens erit: & 2. Magn.Moral.cap.12.*est igitur amabile non quicquam aliud quam per se bonum: aliud nempe est amabile, & aliud amandum, quemadmodum consultabile, & consultandum, vtriq; enim bonum inest: ita etiam amabile quidem simpliciter bonũ, amandum vero eodem modo bonum: iterum amandum quidem etiam amabile: at amabile non idem est, quod amandum:* & 7.Eudem.2. *quæ cupiditate, aut voluntate appetunt, aut bona sunt, aut apparentia bona:* & cap.3.*sic & iucundum, aliud simpliciter, ac bonum simpliciter, aliud vero, quod alicui videtur bonum.* & cap. 4. *verum magis de his determinandum, vtrum, quod ipsi, an quod simpliciter bonum* Amicum *sit: & quod non ipsi bonum fuerit, nec etiam ad ipsum pertinet: sic esse bona, quæ simpliciter bona, ipsi vero, quod ipsi bonũ*; ergo non est impossibile, quod possint reperiri duo Iuuenes, præditi eadem pulchritudine, vel quod si vnus est amabilis ratione pulchritudinis, alter sit æqualiter amabilis ratione gratiæ: vel quod sint ita æquales propter æquiualentes virtutes, vt etiam sint æqualiter amabiles; & in summa in duobus potest reperiri eadem causa amabilitatis, vel quod saltem amanti videatur eadem, & æqualis; sicut duo oua sunt æqualiter amabilia, duo scuta aurea eiusdem bonitatis, & pulchritudinis æqualiter amantur; ergo non est impossibile reperiri duo obiecta æqualiter amabilia, vel quæ saltem videantur æqualiter amabilia: sicut dicunt de aliquo famelico, qui positus inter duos cibos omni-

omnino æquales, æqualis bonitatis, & in æquali distantia quod potius famæ periret, quam vnum eligeret; & si eligit, casu, & fortuna eligit, non ex prælectione, quia secundum prælectionem non potest eligere magis vnum, quam alterum, cum sint æqualiter amabiles, vt refert, & docet Piccol. in 8. grad. Moral. Philosophiæ cap. 50. ergo dantur, vel saltem dari possunt, duo obiecta omnino æqualiter amabilia, vel quæ saltem amanti videantur æqualia: Vnde si talis est Amor in nobis, quale est obiectum amabile, & si duo possunt reperiri obiecta æqualiter amabilia, vel quæ saltem videantur æqualia; igitur poterit in nobis reperiri iste Amor, omnino æqualis, vel saltem non erit impossibilis.

Piccol.

Secundo, hoc etiā probatur ex parte potentiæ amātis, & sensitiuæ; nā pater æqualiter, eodē tēpore eadē specie Amoris, amat duos filios; immo quotquot habet, etiam si centum haberet, posset esse, quod eos omnes æqualiter amaret, si essent æqualiter amabiles; Gallina omnes suos pullos, & Canis suos omnes Catulos æqualiter amat; similiter, sensus potest eodem temporis instante, diuersa, distincta, & etiam quandoque contraria sensibilia sentire, vt latè ostendit Arist. in 2. de Anim. Tex. 146. & 147., & etiam patet in concentu, & Symphonia musicali; in qua sepè sentimus diuersos, & quandoque etiam contrarios sonos, grauem, acutum, consonum, dissonum, & tamen istos omnes sentimus, & eodem tempore, & æqualiter, & eadem facultate; ergo Anima, & sensus possunt ferri in diuersa, & contraria obiecta, eodem tempore, & æqualiter; ergo nec etiam erit impossibile vt vnus eodem tempore,

Arist.

pore,

pore, & æqualiter amet duo obiecta æqualiter amabilia, cum præsertim nõ possit afferri ratio differentiæ, cur potius hoc, quã illud debeat amare: imò duo obiecta æqualiter amabilia, anima nostra, nõ solum potest, sed immo dico ego, tenetur, & cogitur amare; quia, cũ vnũquodq; sit per se amabile, nec magis hoc, quam illud, & vnum quodq; æqualiter moueat animã, anima necessitate quadam naturali cogitur amare vtrũq;, sicut dicunt & Philosophi, & Astrologi de situ, & quiete terræ; terra enim ideo manet in medio, æqualiter distans ab omni circũferentia, quia nulla adest ratio, cur magis in hanc, quam in illam partem debeat ferri, ergo nec etiam est impossibile animam nostram æqualiter ferri in duo obiecta, si ista sint æqualiter amabilia. Tertio, hoc etiam fortius probatur, argumento sumpto ab oppositis; oppositorum enim eadem est disciplina, eadem natura, eadem conditio, & eadem facultate cognoscuntur, vt inquit Arist. in 2. de Anim. Text. 151. & alibi sæpè: sed amor, & odiũ sunt opposita; ergo sicut eodem tempore, & æqualiter possumus odisse duos, ita etiam æqualiter possumus amare duos: quod possimus æqualiter, & eodem tempore odisse duos, patet: Nam, si duo reperirentur homines, qui te simul vellent occidere, cum habeas contra eos æqualem causam odij, etiam eos æqualiter odisti, ita ouis, & agnus eodẽ tẽpore, & æqualiter odit duos lupos, & turdus duos accipitres, si sint æqualiter distantes; ergo si in eadẽ potentia animæ, & eodẽ tempore potest reperiri odium æquale erga duos, etiam similiter poterit in eadẽ reperiri Amor æqualis, si æqualis causa amabilitatis in vtroq; reperiretur, quẽ- Arist.

 ad

ad modum Cœliæ Bonarelli accidit; quæ cum esset alligata trunco, vt commodius posset stuprari à Centauro, Nisus, & Amyntas, fortè etiam æqualiter pulchri, simul, & eodem tempore pugnantes cum Centauro suo periculo, vterq; & ambo simul liberarunt Cœliã; vnde Cœlia tanto beneficio æqualiter ab vtroq; affecta, vtrunq; etiã æqualiter amabat, quia habebat æqualem caussã Amoris; ergo non est impossibile reperiri duo obiecta æqualiter amabilia; ergo nec etiam impossibile, vnum amare duos si parem caussam habeat æqualiter amandi vtrũq. Quarto, hoc idem probatur ex varijs auctoritatibus grauissimorum virorum; & primo Ouid. in rebus Amoris versatissimus, huius rei apertissimum facit testimonium lib. 2. Amorum Eleg. 10.

Ouid.

Tu mihi, tu certè, memini, Græcine negabas,
Vno posse aliquem tempore amare duos.
Per te Ego decipior: per te deprehensus inermis
Ecce duas vno tempore solus amo.
Vtraq; formosa est, operosæ cultibus ambæ,
Artibus in dubio est, hæc sit, an illa prior.
Pulchrior hæc illa est, hæc est quoq; pulchrior illa,
Et magis hæc nobis, & magis illa placet.

Bonar. Et Bonarelli in suo tractatu de duplici Amore Cœliæ par. 2. cap. 2. partic. 6. refert auctoritatem Tassi in quodã Sonetto.

Tass.

Serue indiuiso à dui Tiranni il Core,
A varij Oggetti è vn pensier fermo, e intento,
E per doppia cagion, doppio è'l tormento.

Alem. Et ex Alemano in suis Eleg. refert ista carmina,

Per

Per qual cagion auuien crudel'Amore,
Che fuor d'ogn'vso human, per Cintia, e Flora
Porti due fiamme, e non hò più d'vn Core.

& eadem par. 2. cap. 3. par. 7. refert authoritatem Alberti Magni, qui dicit, *vtrum autem duo æqualiter diligi posſint, aut non, fatuum est quærere, quia vbi dilectio, & una est causa diligendi, & æqualis ſit in duobus, pro certo æqualiter diliguntur:* igitur non eſt impoſſibile vnum amare duos, & eodem tempore, & æqualiter, & eadem ſpecie Amoris; quod etiam ex ſolutione contrariarum rationum magis apparebit. Nam, vt inquit Marſil. in Menone, *ueritas ex redarguitione falſitatis magis eluceſcit.* Alber. Magn.

Igitur ad primam reſpondeo, quod indiuiduum poteſt dupliciter conſiderari, Phyſicè, & per relationem ad generationem Amoris; Phyſicè, nunquam certè reperiri valent duo indiuidua omnino, & ſecundum omnes partes inter ſe æqualia, quia ſemper poterit inter illa conſiderari aliqua differentia: at cõſiderando indiuiduum per relationem ad Amorem, & quatenus amabile, tunc dico, quod benè poſsũt reperiri duo indiuidua æqualiter amabilia, vt dictũ eſt de duobus ouis, & de duobus ſcutis aureis, quæ quamuis ſecundum cõſiderationem phyſicam ſint duo Indiuidua diſtincta, quatenus tamen ſunt amabilia, ſunt æqualiter amabilia; & quia obiectum Amoris nõ ſolum eſt illud, quod in ſe realiter eſt amabile, ſed etiam illud, quod Amanti videtur amabile, vndè vulgo dicitur, non eſſe pulchrum, quod eſt pulchrum, ſed quod videtur pulchrum; ideo etiam non erit impoſſibile, quod reperiantur duo obiecta, quæ Amanti æqualiter videan- Marſil.

tur amabilia, propter eandem causam amabilitatis, vt illi duo Pastores, qui simul liberarunt Cœliam de manibus Centauri, erga illos æqualis erat Amor, quia in vtroque æqualis erat causa Amoris: & quamuis sint duo subiecta distincta, quatenus tamen obiecta Amoris, considerantur sub ratione vnius, & eiusdem amabilitatis: sic itaque quamuis physicè non dentur duo Indiuidua omnino æqualia, per relationem tamen ad Amorem, illa possunt esse æqualiter amabilia.

Ad secundum respondeo, quod aliquid fieri, & esse in eodem tempore, potest dupliciter intelligi, vel in eodem puncto, & instante, vel in illa velocissima, & penè insensibili successione vnius instantis post aliud: primo modo, quamuis Bonarell. in dicto Tractat. de duplici amore Cœliæ par. 2. cap. 1. par. 4. asserat, Amantem posse eodem puncto, eodemque instante temporis tendere in duo Amata obiecta; pace tamen tanti viri, ego puto nõ esse verum secundum veriorem philosophiam Arist. Nam cum Amans, dum actualiter amat, & in illo actu Amoris, & vt diceret Scotistæ, in illa actuali amatione semper amet per cognitionem, cognoscendo Amatum, sicut nõ potest simul, & eodem puncto temporis duas species intelligibiles, vel sensibiles cognitione distincta intelligere, vel sentire, ita etiam est impossibile, quod eodem pũcto temporis amans amet duo obiecta; quia obiecta offerũt quidem intellectui, vel sensui duas species, quemadmodum plures lineæ, simul, & eodem tempore confluunt ad centrum, vt inquit Arist. in 2. de Anima Tex. 149. sed Intellectus, vel sensus actualiter non potest cognoscere, nisi

Bonar.

Arist.

vnam solam pro qualibet vice, saltem cognitione distincta, vt vnicuique rectè consideranti patere potest. nec dicat; ista obiecta amantur sub ratione vnius, & eiusdem amabilitatis; ergo etiam est vna sola species cognoscibilis, & ita amans non cognoscit simul duas species, sed solum duo obiecta sub ratione vnius tantum speciei; quia dico; hoc esse falsum: Nam vnumquodque obiectum suam iacit speciem, & licet istæ species sint æquales, tamē sunt duæ, cum duo sint obiecta, & vna solum potest in vno pūcto temporis actualiter cognosci, cognitione perfecta, & distincta, prout vnusquisque nostrum experientia cognoscet, si diligenter aduertat; Imprimas enim eodem sigillo duas figuras, istas, quāuis vicinas, & omnino similes, non tamen poteris perfectè cognoscere actualiter, & cognitione distincta, nisi vnam post aliam; sed dato, quod eodem instante cognoscantur, quomodo tunc erit verum, quod Amans eos simul eodē tempore amet, si illud instans non est tempus, sed principium, vel finis temporis? Si autem consideremus illam velocissimam successionem vnius instātis post aliud; tunc propter maximā velocitatem mentis, & intellectus, possumus dicere, Amantem eodem tempore posse æqualiter amare duos, quatenus statim ac cogitat de vno, etiā alter in eius mentem venit, & post vnam speciem, alterā cognoscit; sed ita velociter, vt quamuis vnum post alium actualiter amet, possit tamē dici, vtrumque eodem tempore amare, quia illa successio est ita velox, vt sit etiā penè insensibilis. Et quāuis talis amatio successiuè fiat, potest tamen dici, fieri eodem tempore, sicut dicimus aliquem eodem tempore

loqui, & comedere, eodem tempore Amantem amare Amatam, & odisse Riualem, immo & eandem Amatã, & odisse, & amare, & sicut dicit Arist. 2. Rhetor. cap. 7. *quod periclitans simul cupit, & dolet, cupit euadere periculum, & dolet esse in periculo.* Sed realiter secundum bonam philosophiam eodem puncto fieri non potest. Vel alio modo, & fortè etiam melius respõdeo, dimissis omnibus istis subtilitatibus, quod aliquẽ amare duos eodem tempore, non debemus ita strictè Intelligere, vt ista identitas temporis debeat necessario ad punctum solum, & instans restringi, hoc enim modo esset nimium rigorosa interpretatio, sed est ita accipiendum, vt intelligamus eum, quandiu amat vnum, in hoc eodem tempore, idest in hoc eodem spatio temporis, quandiu tenetur amore vnius, posse amare etiam, & alium: u.g. supponamus te fore amaturum vnum, per duos annos, in hoc eodem tempore, idest in istis duobus annis, tu potes amare etiam & alterum; sicut eodem tempore dicimus, Mercatorem ditari, & nobilitari, & puerum eodem tempore crescere, & studere; non enim in quolibet puncto temporis, quo Mercator ditatur, etiam nobilitatur, nec in quolibet puncto, quo Puer crescit, etiam studet, sed in eodem spatio, & cursu temporis, quo ditatur ille, & iste crescit, ille etiam nobilitatur, & iste discit: & hanc puto ego, ac etiã iurarem, esse veram, & germanam Intelligentiam huius quæstionis in hoc articulo, quæ si est vera, penitus eneruat totam vim præsentis argumenti.

Ad Tertiam, & vltimam vnica solutione respondeo, quod procedunt de vita, transformatione, & motu reali,

&

& physico: At nõ in vita, trãsformatione, & motu metaphysico, pro vt est motus, vita, & illa trãsformatio Amãtis, de quibus nunc agimus; igitur nõ est impossibile, vnum amare duos, & eodem tempore, & æqualiter, & eadem specie Amoris. Arist. & D. Thom. respondeo, eos ibi loqui solum de potentia ordinaria, de consuetudine, ex cõmuniter accidentibus, & iuxta illud, quod vt plurimum contingit, vt clarè colligitur ex illis verbis Arist. *Natura consueuit, non facile est, neque bonum esse*, & ex illis D. Thomæ, *secundum quem non contingit*, vbi loquuntur solum iuxta illud, quod regulariter fit, non iuxta illud, quod fieri, & accidere potest de potentia absoluta, & extraordinaria: & quamuis dum Arist. põsuit conclusionem, proferat verba absoluta, quæ possunt referri ad potentiam absolutam, ibi, *fieri non potest*, itaut clarè videatur dicere esse impossibile vnum amare duos, tamen verba, & sensus conclusionis debent intelligi, magis secundum vim, & virtutem medij termini, quo probare nititur conclusionem, quam secundum ipsam conclusionem, quia totus neruus & virtus conclusionis in medio termino consistit; igitur, quamuis in propositione conclusionis vtatur verbis absolutam potentiam denotantibus, tamẽ, quia in probanda conclusione vtitur verbis, quæ solum ordinariam potentiam, & consuetudinẽ importãt, propterea debemus etiam intelligere conclusionem, vt solum de potentia ordinaria procedat, iuxta illud, quod cõmuniter accidit, nõ iuxta illud, quod accidere potest, pro vt nos nunc quærimus in hac quæstione; & si exuperantia, & excessus circa vnum solum versantur, dico hoc esse verum de potẽ-

tia

tia ordinaria, sed de potentia extraordinaria potest etiã esse extra vnum, & circa multa; & si non facile est, vni multos vehementer placere, ego respondeo; hoc quidem esse difficile, sed non tamen impossibile. Plutar. similiter respondeo, vel eum quoq; loqui populariter, secundũ cõmuniter accidẽtia, vel si loquitur absolutè de absoluta potentia Amoris, & putet esse impossibile vnum posse amare duos æqualiter, amore intenso, & eodem tẽpore, dico eum in hoc fuisse deceptũ, quia, vt vidimus, adsunt rationes, & auctoritates, quib⁹ luce meridiana clarius probatur, hoc nõ esse impossibile; & ꝓpterea istæ auctoritates sunt extra terminos quæstionis nostræ, & nihil faciũt contra nos, pareatq; nunc Plutarc. quia certè non nisi coactus, & inuitus, recedo ab opinione Magistri.

Quinam in fruitione Amoris, & vsu rei Venereæ, maiorem delectationem percipiat, Masculus, an fœmina. Cap. X.

SI fabulis esset ista quæstio terminanda, iam pro fœminis esset ferenda sententia; nota est enim fabula Tiresiæ; Nam dum Iuppiter, & Iuno de hac re cõtenderent, concordes Tiresiam condenerunt, qui, cùm vtrũq; sexum fuisset expertus, vtriusq; etiam delectationem solus nosse poterat; iudicauit itaq; quod in re Venerea, ex vna libra delectationis, Fœmina nouem, Masculus vero tres tantum vncias sibi vendicaret, quamobrem indignata Iuno, manu auersa illum excoecauit; sed quamuis ista sit fabula, non desunt tamen rationes, quibus iudiciũ

Tir

Tiresiæ adiuuari posse videtur; Nam, vt refert omnium rerum eruditissimus, & sagacissimus relator Tiraquel. de leg. Connub. leg. 9. n. 115. ex Gal. Auicen. & alijs, Mulier debet necessario maiorem delectationem percipere, quia sentit delectationem in proprio emittendo semine, & in recipiendo, vel sugendo calido semine Masculi: Masculus enim est solum præditus facultate expultrice seminis, fęmina vero est prædita, & facultate expultrice proprij seminis, & attractrice seminis Masculi; ergo duplicem delectationem sentire debet, totam suã propriã, & etiam maiorẽ partem delectationis Masculi. Tiraq.

Attamen ego puto, maiorem esse delectationẽ Masculi; Nam ista delectatio procedit à maiore motu, à caliditate; & à venis intus asperioribus, vt ego olim Pisis audiui à doctissimo quodam Anatome; & vt etiam patet, quia viuaciores, calidiores, & robustiores in eam sunt etiam procliuiores: sed masculus est viuacior, calidior, & robustior, ac asperiori vena præditus, maioremq; motum facit in ea re, quam fœmina; ergo etiam ex quadam æquitate, maiorem delectationem percipere debet.

Hac tamen distinctione, Ego puto utramq; opinionẽ posse verificari; Nam si loquimur de Amantibus, tunc ille maiorem delectationem percipit, qui magis, & ardentius amat; itaq; si fœmina magis amat, maiorẽ etiã delectationem in ea fruitione percipiet; si autem Masculus magis amat, hic quoq; maiorem delectationem in Amoris fruitione percipere debet: quod si non possit dicernis, qui nam magis amet, tunc si vterq; eorũ ardẽter

amat, vel si neuter eorum amat, coeant tamen, & emittat vterq; semen, tunc dico, quod extensiuè maiorem delectationem percipit fœmina, intensiuè vero maiorē percipit Masculus: Nam vehemētius est semen Masculi, & ideo etiam maiorem delectationem afferre debet. at fœmina, quia in se ipsa, & proprium motum experitur, & motum etiam viri, & proprium emittit, ac alienum in se ipsa semen recipit, tunc extensiuè longiorem delectationem percipit; at Masculus tamen semper vehementiorem, & intensiorem; & quia vt Ego credo, vtramq; nō fuisti expertus, credas interim rationi, quia si etiam vtramq; posses experiri, maiorem perciperes, dū officio Viri, quā dum officio fœminæ fungereris.

An per famam solam possit in nobis generari Amor, & an Cæcus à Natiuitate possit hoc Amore feriri. Cap. XII.

QVod etiā per famā possit in nobis generari Amor, non desunt, qui affirment, & non solū de auditu, vel ratione, sed etiam propria experientia; & sic probari potest. Nam pulchrū est causa, & obiectum Amoris, quia Amor est affectio Animæ desiderans bonum ratione pulchri. Marsil. autem Ficin. in Hipp. Plat. in Phædr. in principio, & in Conuiu. orat. p. cap. 4. vt etiam diximus supra cap. 3. definiebat pulchrum, quod sit quædam gratia, quæ animam per mentem, visum, & auditum mouet, & allicit; & quod pulchrum cognoscitur per mentem visum, & auditum; ergo etiam per famā poterimus cognoscere pulchrum: ergo etiā per famam

pote-

poterimus amare pulchrum; igitur etiam per famam poterit in nobis generari Amor. Et si alicui Platonico ista ratio videretur æquiuocare, & esse extra terminos q̃stionis; non ne tamen vnusquisque nostrũ in semetipso quotidiè, & sensim experitur, quod dum audit referri preclara facinora alicuius, vel Amoris, vel gratiæ, vel humanitatis, vel magnaminitatis, vel fortitudinis, statim illius amore capitur, cupit illum videre, ac ei libenter beneficia conferre, si posset? sic dum legis præclara Poemata Tass. Ariost. & Guarini; ac animo perpendis illos maximos effectus Amoris, humanitatis, magnaminitatis, & fortitudinis, nonne statim affectione curris, modo erga Erminiam, modo erga Dorindá, Clorindam, Bradamantem, Tancredum, Rinaldũ, & alios, quos vehemẽter amas, dũ nobiles, & amabiles eorum actiones vel legis, vel audis; & nonne multi Reges, & Tirãni reperti sunt, q ex sola fama, audita pulchritudine alicuius Mulieris, statum eius amore capti, miserunt & milites, & exercitus ad eam rapiendam? sicut è contrario, dum turpes, facinorosas, crudeles, & inhumanas alicuius actiones audis, non ne statim illum odio habes; pigetq; audire, vel legere? quis non oderit Neronem, Tarquinium, Herodem, Caligulam, aliosq; Tirannos, qui diabolicis suis actionibus omnium hominum odia in se excitarunt? At si contrariorum eadem est natura, eadem conditio, & si eadem facultate cognoscuntur; igitur, sicut per famam in nobis generatur odium, ita etiam per famam poterit generari Amor; vnde inquit Arist. in 8. Moral. Nicom. cap. 2. *quam multi beneuoli* Arist.

uoli sunt ijs etiam, quos non viderunt. Sicut etiam narrat
Philost. Philostratus in vita Apollonij lib. primo cap. 9. his verbis. *Erat inter Cilices, Princeps quidam uir planè contumeliosus, & in Amores pronus: Ad hunc de pulchritudine Apollonij fama peruenit, statimque rebus agendis omnibus post habitis (Tarsi enim fortè tunc temporis negotiabatur) Ægas uenit, ac cũ Apollonio loquens, ab eo statim petijt, qđ a formosis peti solet, ut pulchritudinem suam alijs non inuideant, sed libenter communicent.* Et in epist. 3. ad Athenodorum, *oculi consiliarij sunt amandi: Tu uero auditione, ac rumore solum amas Ionicum Adolescentulum, cum habites Corinthi,*
Athen. & Athen. in cęnis lib. 13: num. 284. narrat Alcibiadẽ amasse Medontidem Abydenam, per famam solam audita pulchritudine illius, & quod adhuc est mirabilius, ac ab omniũm opinione alienũ, narrat Odatidi puellæ Omartis Regis filiæ dormienti, ac in somnis apparuisse Imaginem Zariadræ Regis, & similiter Zariadrem etiam in somnis sibi visũ fuisse videre Imaginem Odatis, quamuis ante nunquam se inuicem vidissent, ac in distantissimis Prouincijs regnarent, & statim tanto mutuo Amore fuisse correptos, vt propè ad insaniam facile deuenissent, nisi ad nuptias conuolassent; tantus Amor non per famam, sed solum per somnium, ac per visiones solum nocturnas habuit originem, quia antea nec etiam nomen vnus audierat alterius. Inquit igitur de Alcibiade: *Medõtidẽ Abydenam auditione tantũ amare cœpit, & in primis Charam habuit;* & de secundis: *Porro autẽ mirandũ non est, auditione tantum quosdam Amore captos fuisse, quãdoquidẽ Cares Mitylenеus lib. x. Historiarũ*

Alexan-

Alexandri prodidit, nonnullos quosdã Amatos fuisse nusquam antea conspectos, quorum species tantum in somnis obuersata fuisset: Odati Zariadræ imaginem dormienti apparuisse, statimq; ea uisa correptam Amore fuisse: idem accidisse Zariadræ, qui statim Amore erga illam accensus est; cũ ergo perseueraret mũtuus ille Amor, uisis solum nocturnis cõciliatus, misit ille ad Omartẽ nuptiarum earum cupidissimus, qui uxorem sibi poscerent; renuit Omartes; sed cum non post multum temporis spatium, eam uellet iam matrimonio collocare, conuocatis omnibus Amicis, Cognatis, ac regni Optimatibus, dixit Omartes, nos, Odati, nuptias tuas nunc faciemus, omnes circumspice, auream phialam uino plenam sume, & ei trade, quem tibi maritum optas, & illius nos te esse Coniugem proclamabimus. Patri obsequens, oẽs illa contuebatur, & flens circumibat, summopere Zariadrẽ uidere cupiens: etenim literis illi significauerat celebratas iri nuptias. Castrametatus iam ille fuerat ad Tanais ripas, litteris ille acceptis, clam exercitu, solo Auriga comite, fluuium traiecit, & noctu magna celeritate, curru circiter octingenta stadia permensus, propè Vicum accesit, in quo fiebant Nuptiæ, ac certo quodam loco relictis curru, & Auriga, Aulam Regiã solus ingressus est: Odatide conspecta, quæ lacrimabunda cunctantius phialam miscebat, ut propè illam constitit, Adsum, inquit, tibi Odati, sicut mandasti: ea vero cum animaduerteret, Peregrinum esse virum egregia forma, ei similem, quem noctu uiderat, gaudio exultans, phialam in manum dat, accepit ille, raptamq; Odatim in Currum perduxit, & aufugit. Conticuere famuli, & Ancillæ Amoris consciæ, Barbari, qui Asiam habitant, hunc Amorẽ sæpe commemorant, & dignissimum esse putãt,

quem obnixi imitentur, ideoq; in templis, ac Regiarum Atrijs pingunt, atq; etiam priuatis ædibus; primoresq; gnatas suas. Odatidas uocari gaudent. Hæc Athen. ex quibus apparet non solum per famam, sed etiam per somnium generari Amorem.

Ita nec ēt erit impossibile, immo maximè cōueniens, vt etiā Ceci à natiuitate possint amare per famam, & auditū tantū; immo magis conueniens cœcis, quam alijs, vt cū Amor fingatur cœcus, & cœcus iam sit oīs Amās, circa rem Amatā, vt ait Plutarc. in quæst. Plat. in principio ibi, *Amantem enim res amata cæcum facit,* Cœcorum maximè curam habeat Amor Cœcus, eosq. sibi similes maximè reddat, cum sit ipse Amor, eos etiam Amantes faciat; & Bononiæ audiui Ego à quodam Cœco à natiuitate, qui etiam erat doctissimus, quod ipse fuerat Amans, & amabat ardenter, & multos versus, & carmina componebat, vt suas flāmas ostenderet; & nota est fama & historia illius Coeci, qui Coecus Adriæ nuncupatur, qui volumina Poeseos integra composuit, vt Amorem suum, & flāmas exprimeret; & vt inquit Plutar. in Amat. *per carmina calorem corde conceptum emittebat suaue sonantibus Musis, Amori medicans suo.*

Plutar.

Attamem Arist. in 9. Moral. cap. 12. in principio inquit: *Igitur quemadmodum amore captis, inspicere est amabilissimum, magisq; hunc sensum, quàm cæteros eligūt, vt potè cum ex eo Amor, & maximè existat, & oriatur,* vbi dicit verbis apertissimis, Magister omnium Arist. Amorē oriri ex visu, & oculis, quod etiam prius dixerat eod. loc. cap. 5. & Plutarc. lib. 5. Sympos. quęst. 7.

Arist. Plutar.

inquit

inquit, *& mores, quibus nullus uehementior animis motus accidit, ab aspectu principium ducunt, adeo ut fluat, & quasi liquescat Amans, cum intuetur in id, quod amat, inq; id ueluti transit*; quibus consonat illud Propertij vulgatum lib. 2. eleg. 12. Prosper.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Hinc, & Stobæus in florilegio ser. 64. contra pulcritud. vol. 1. inquit. *quod uisus ansa est capiendi Amoris*. ergo in Cœco, & per famam non poterit generari Amor, cum oculis non possit cognoscere rem amatam. Vnde, & Philostratus in epist. quæ incipit, unde meum animum cepisti, *Beatos*, inquit, *o dij a natiuitate Cæcos, ad quos Amor aditum, aut accessum non habet.* Philos.

Vt etiam hanc rem breuiter expediam, puto per famam posse amari, & Cœcum posse amare: sed tamen imperfectè, & crassiori Minerua, cum non cognoscat illud, ex quo perfectus oritur amor; Pulchritudo enim est obiectum, & causa amoris, quæ cũ consistat in proportionata dispositione, & debito colore, solo visu, & oculis perfectè cognosci potest; & ideo per famam non potest cognosci, sicut nec etiam Cœcus eam cognoscit; ergo etiã in eo imperfectus generabitur Amor; Amor autem perfectus per visum, & ex visu solum oritur, sicut dicit idem Arist. dicto cap. 2. 8. Nicom. in fine, per famam posse quidem generari quandam beneuolentiã, sed non perfectam amicitiam; & propterea ille Amor Alcibiadis erga Medontidem, fuit satis insipidus, quod ex eo facile cognosces, quia, vt ibidem tradit Athen. ferè statim illam tradidit, Asciocho nauigationis Comiti Arist. Athen.

ti vtendam. similiter & ille Amor Odatidis, & Zariadrę sine dubio maior, ac perfectior fuisset, si à principio se inuicem proprijs oculis videre potuissent; sicut credendum est, maiorem postea euasisse, cum ex vero aspectu se ipsos intueri fortuna concessum est, quam dum per solum somniũ, ac per visiones solum nocturnas amarent.

An sit necesse, vt ille, qui amat, etiam uiceuersa ametur. *Cap. XII.*

Quod omnis Amãs debeat reamari, concedũt multi, & cupiunt oẽs Amantes; sed quod hoc sit necessarium, nõ omnes Philosophi admittũt. qui putãt, hoc esse necessarium, ita argumentantur: Amor nascitur ex quadam similitudine, quam habet Amãs ad Amatũ; ergo sicut Amans amat Amatum ratione huius similitudinis, ita etiam Amatus iure eiusdem debet, & cõgitur reamare amantem: similitudo enim, vt inquit Marsil. in Sympos. Orat. 2. cap. 8. est quædam natura in pluribus eadem: sicut amans est similis Amatò, ita etiam est necesse, vt vice versa Amatus sit Amanti consimilis; ergo ratione similitudinis, necesse est, vt omnis Amans vice versa ametur. & confirmatur ratio; quia ista similitudo vel nascitur ex temperamento naturali, vt dicunt philosophi, vel ex influxu Cœli, vt dicunt Astrologi; sed tam Natura, quam Cœlum ex sententia Arist. ex necessitate agunt semper, & quantũ possunt; ergo illud temperamentum, vel influxus, qui cogit,

Mars.

git *Amantem*, vt amet, debet etiam necessario cogere Amatũ, vt vice versa reamet Amantem: Et hunc mutuum Amorem tanti faciunt Platonici, vt dicant, *Amatũ* non reamantem posse puniri tanquam furem, homicidam, & sacrilegum, vt dictum est supra cap. 2. ex Marsil. ac triplici morti esse obnoxiũ; est fur, & latro, quia rapit, furaturq; *Animam* Amantis: est homicida, quia, cum non reamet, dicitur in se ipso occidere Animam *Amantis*, solummodo in Amato viuentem; & cum rapiat, occidatq; animam, quæ est res diuina, & sacra; iam efficitur etiam sacrilegij reus; ergo tanquam omnino infamis, & prophanus deberet, si esset possibile, pluries mori, & potest à quocunq; impunè occidi; igitur *Amatus*, vt effugiat has pœnas, debet, & tenetur reamare *Amantem*. & iniustus etiam efficitur omnis *Amatus*, non reamans; tum quia rapit alienum, tum etiam, quia non reddit vnicuiq;, quod suum est; ergo est ingratus, & iniustus ergo tenetur reamare.

Ex altera tamen parte experientia, quæ dicitur efficax rerum Magistra, quotidiè nobis ostendit, hoc non esse necessarium, raro fieri, immò & quandoq; etiam esse impossibile, vt omne, q; amatur, vice versa amet; Hinc *Arist.* 7. Eudem. 5. *in actu necessario Amans est, redamari autem p accidens contingit, & latere potest.* & 8. Nicom. cap. 8. *Vnde Amatores ridiculi interdum videntur, dum sicut amant, ita se esse amandos censent, si simili modo sanè essent amabiles, fortasse censere ita deberent, cum verò nihil huiusmodi habent, ridiculum est.* hinc sæpius audis querelas, & Amantium suspiria, quorum Poetarum *Arist.*

tia ordinaria, sed de potentia extraordinaria potest etiā esse extra vnum, & circa multa; & si non facile est, vnū multos vehementer placere, ego respondeo, hoc quidem esse difficile, sed non tamen impossibile. Plutar. similiter respondeo, vel eum quoq; loqui populariter, secundū cōmuniter accidētia, vel si loquitur absolutè de absoluta potentia Amoris, & putet esse impossibile vnum posse amare duos, æqualiter, amore intenso, & eodem tēpore, dico eum in hoc fuisse deceptū, quia, vt vidimus, adsunt rationes, & auctoritates, quib9 luce meridiana clarius probatur, hoc nō esse impossibile; & ppterea istæ auctoritates sunt extra terminos quæstionis nostræ, & nihil faciūt contra nos, pareatq; nunc Plutarc. quia certè non nisi coactus, & inuitus, recedo ab opinione Magistri.

Quinam in fruitione Amoris, & vsu rei Venereæ, maiorem delectationem percipiat, Masculus, an fœmina. Cap. X.

SI fabulis esset ista quæstio terminanda, iam pro fœminis esset ferenda sententia; nota est enim fabula Tiresiæ; Nam dum Iuppiter, & Iuno de hac re cōtenderent, concordes Tiresiam condenerunt, qui, cùm vtrūq; sexum fuisset expertus, vtriusq; etiam delectationem solus nosse poterat; iudicauit itaq; quod in re Venerea, ex vna libra delectationis, Fœmina nouem, Masculus vero tres tantum vncias sibi vendicaret, quamobrem indignata Iuno, manu auersa illum excoecauit; sed quamuis ista sit fabula, non desunt tamen rationes, quibus indiciū

Tiresiæ adiuuari posse videtur; Nam, vt refert omnium rerum eruditissimus, & sagacissimus relator Tiraquel. de leg. Connub. leg. 9. n. 115. ex Gal. Auicen. & alijs, Mulier debet necessario maiorem delectationem percipere, quia sentit delectationem in proprio emittendo semine, & in recipiendo, vel sugendo calido semine Masculi: Masculus enim est solum præditus facultate expultrice seminis, fęmina vero est prædita, & facultate expultrice ꝓprij seminis, & attractrice seminis Masculi; ergo duplicem delectationem sentire debet, totam suã propriã, & etiam maiorẽ partem delectationis Masculi. *Tiraq.*

Attamen ego puto, maiorem esse delectationẽ Masculi; Nam ista delectatio procedit à maiore motu, à caliditate; & à venis intus asperioribus, vt ego olim Pisis audiui à doctissimo quodam Anatome; & vt etiam patet, quia viuaciores, calidiores, & robustiores in eam sunt etiam procliuiores: sed masculus est viuacior, calidior, & robustior, ac asperiori vena præditus, maioremq́; motum facit in ea re, quam fœmina; ergo etiam ex quadam æquitate, maiorem delectationem percipere debet.

Hac tamen distinctione, Ego puto utramq́; opinionẽ posse verificari; Nam si loquimur de Amantibus, tunc ille maiorem delectationem percipit, qui magis, & ardentius amat; itaq́; si fœmina magis amat, maiorẽ etiã delectationem in ea fruitione percipiet; si autem Masculus magis amat, hic quoq́; maiorem delectationem in Amoris fruitione percipere debet; quod si non possit dicernis, qui nam magis amet, tunc si vterq́; eorũ ardẽter

amat, vel si neuter eorum amat, coeant tamen, & emittat vterq; semen, tunc dico, quod extensiuè maiorem delectationem percipit fœmina, intensiuè vero maiorē percipit Masculus: Nam vehemētius est semen Masculi, & ideo etiam maiorem delectationem afferre debet. at fœmina, quia in se ipsa, & proprium motum experitur, & motum etiam viri, & proprium emittit, ac alienum in se ipsa semen recipit, tunc extensiuè longiorem delectationem percipit; at Masculus tamen semper vehementiorem, & intensiorem; & quia vt Ego credo, vtramq; nō fuisti expertus, credas interim rationi, quia si etiam vtramq; posses experiri, maiorem perciperes, dū officio Viri, quā dum officio fœminæ fungereris.

An per famam solam posit in nobis generari Amor, & an Cæcus à Natiuitate posit hoc Amore feriri. Cap. XII.

QVod etiā per famā posit in nobis generari Amor, non desunt, qui affirment, & non solū de auditu, vel ratione, sed etiam propria experientia; & sic probari potest. Nam pulchrū est causa, & obiectum Amoris, quia Amor est affectio Animæ desiderans bonum ratione pulchri. Marsil. autem Ficin. in Hipp. Plat. in Phædr. in principio, & in Conuiu. orat. p. cap. 4. vt etiam diximus supra cap. 3. definiebat pulchrum, quod sit quædam gratia, quæ animam per mentem, visum, & auditum mouet, & allicit; & quod pulchrum cognoscitur per mentem visum, & auditum; ergo etiam per famā poterimus cognoscere pulchrum: ergo etiā per famam

Marsil.

pote-

poterimus amare pulchrum; igitur etiam per famam poterit in nobis generari Amor. Et si alicui Platonico ista ratio videretur æquiuocare, & esse extra terminos q̃stionis; non ne tamen vnusquisque nostrũ in semetipso quotidiè, & sensim experitur, quod dum audit referri preclara facinora alicuius, vel Amoris, vel gratiæ, vel humanitatis, vel magnaminitatis, vel fortitudinis, statim illius amore capitur, cupit illum videre, ac ei libenter beneficia conferre, si posset? sic dum legis præclara Poemata Tass. Ariost. & Guarini; ac animo perpendis illos maximos effectus Amoris, humanitatis, magnaminitatis, & fortitudinis, nonne statim affectione curris, modo erga Erminiam, modo erga Dorindã, Clorindam, Bradamantem, Tancredum, Rinaldũ, & alios, quos vehemẽter amas, dũ nobiles, & amabiles eorum actiones vel legis, vel audis; & nonne multi Reges, & Tirãni reperti sunt, q ex sola fama, audita pulchritudine alicuius Mulieris, statum eius amore capti, miserunt & milites, & exercitus ad eam rapiendam? sicut è contrario, dum turpes, facinorosas, crudeles, & inhumanas alicuius actiones audis, non ne statim illum odio habes, pigetq; audire, vel legere? quis non oderit Neronem, Tarquinium, Herodem, Caligulam, aliosq; Tirannos, qui diabolicis suis actionibus omnium hominum odia in se excitarunt? Atsi contrariorum eadem est natura, eadem conditio; & si eadem facultate cognoscuntur; igitur, sicut per famam in nobis generatur odium, ita etiam per famam poterit generari Amor; vnde inquit Arist. in 8. Moral. Nicom. cap. 2. *nam multi bene-* *Arist.*

uoli sunt ijs etiam, quos non viderunt. Sicut etiam narrat Philostratus in vita Apollonij lib. primo cap. 9. his verbis. *Erat inter Cilices, Princeps quidam uir plane contumeliosus, & in Amores pronus: Ad hunc de pulchritudine Apollonij fama peruenit, statimque rebus agendis omnibus post habitis (Tarsi enim fortè tunc temporis negotiabatur) Ægas uenit, ac cũ Apollonio loquens, ab eo statim petijt, qđ a formosis peti solet, ut pulchritudinem suam alijs non inuideant, sed libenter communicent.* Et in epist. 3. ad Athenodorum, *oculi consiliarij sunt amandi: Tu uero auditione, ac rumore solum amas Ionicum Adolescentulum, cum habites Corinthi,* & Athen. in cęnis lib. 13. num. 284. narrat Alcibiadẽ amasse Medontidem Abydenam, per famam solam audita pulchritudine illius, & quod adhuc est mirabilius, ac ab omnium opinione alienũ, narrat Odatidi puellæ Omartis Regis filiæ dormienti, ac in somnis apparuisse Imaginem Zariadræ Regis, & similiter Zariadrem etiam in somnis sibi visũ fuisse videre Imaginem Odatis, quamuis ante nunquam se inuicem vidissent, ac in distantissimis Prouincijs regnarent, & statim tanto mutuo Amore fuisse correptos, vt propè ad insaniam facile deuenissent, nisi ad nuptias conuolassent; tantus Amor non per famam, sed solum per somnium, ac per visiones solum nocturnas habuit originem, quia antea nec etiam nomen vnus audierat alterius. Inquit igitur de Alcibiade: *Medõtidẽ Abydenam auditione tantũ amare cœpit, & in primis Charam habuit;* & de secundis: *Porro autẽ mitandũ non est, auditione tantum quosdam Amore captos fuisse, quãdoquidẽ Cares Mithylenens lib. x. Historiarũ*

Philost.

Athen.

Alexan-

Alexandri prodidit, nonnullos quosdã Amatos fuisse nusquam antea conspectos, quorum species tantum in somnis obuersata fuisset: Odati Zariadræ imaginem dormienti apparuisse, statimq; ea uisa correptam Amore fuisse: idem accidisse Zariadræ, qui statim Amore erga illam accensus est; cũ ergo perseueraret mutuus ille Amor, uisis solum nocturnis cõciliatus, misit ille ad Omartẽ nuptiarum earum cupidissimus, qui uxorem sibi poscerent; renuit Omartes; sed cum non post multum temporis spatium, eam uellet iam matrimonio collocare, conuocatis omnibus Amicis, Cognatis, ac regni Optimatibus, dixit Omartes, nos, Odati, nuptias tuas nunc faciemus, omnes circumspice, auream phialam uino plenam sume, & ei trade, quem tibi maritum optas, & illius nos te esse Coniugem proclamabimus. Patri obsequens, oẽs illa contuebatur, & flens circumibat, summopere Zariadrẽ uidere cupiens: etenim literis illi significauerat celebratas iri nuptias. Castrametatus iam ille fuerat ad Tanais ripas, litteris ille acceptis, clam exercitu, solo Auriga comite, fluuium traiecit, & noctu magna celeritate, curru circiter octingenta stadia permensus, propè Vicum accessit, in quo fiebant Nuptiæ, ac certo quodam loco redictis curru, & Auriga, Aulam Regiã solus ingressus est: Odatide conspecta, quæ lacrimabunda cunctantius phialam miscebat, ut propè illam constitit, Adsum, inquit, tibi Odati, sicut mandasti: ea vero cum animaduerteret, Peregrinum esse virum egregia forma, ei similem, quem noctu uiderat, gaudio exultans, phialam in manum dat, accepit ille, raptamq; Odatim in Currum perduxit, & aufugit. Conticuere famuli, & Ancillæ Amoris consciæ, Barbari, qui Asiam habitant, hunc Amorẽ sæpe commemorant: & dignissimum esse putãt,

inquit, *& mores, quibus nullus uehementior animis motus accidit, ab aspectu principium ducunt, adeo ut fluat, & quasi liquescat Amans, cum intuetur in id, quod amat, inq; id ueluti transit*; quibus consonat illud Propertij vulgatum lib. 2. eleg. 12. Propter.

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Hinc, & Stobæus in florilegio ser. 64. contra pulcritud. vol. 1. inquit. *quod uisus ansa est capiendi Amoris*. ergo in Cœco, & per famam non poterit generari Amor, cum oculis non possit cognoscere rem amatam. Vnde, & Philostratus in epist. quæ incipit, unde meum animum cępisti, *Beatos*, inquit, *o dij a natiuitate Cœcos, ad quos Amor aditum, aut accessum non habet.* Philos.

Vt etiam hanc rem breuiter expediam, puto per famam posse amari, & Cœcum posse amare: sed tamen imperfectè, & crassiori Minerua, cum non cognoscat illud, ex quo perfectus oritur amor; Pulchritudo enim est obiectum, & causa amoris, quæ cũ consistat in proportionata dispositione, & debito colore, solo visu, & oculis perfectè cognosci potest; & ideo per famam non potest cognosci, sicut nec etiam Cœcus eam cognoscit; ergo etiã in eo imperfectus generabitur Amor; Amor autem perfectus per visum, & ex visu solum oritur, sicut dicit idem Arist. dicto cap. 2. 8. Nicom. in fine, per famam posse quidem generari quandam beneuolentiã, sed non perfectam amicitiam; & propterea ille Amor Alcibiadis erga Medontidem, fuit satis insipidus, quod ex eo facile cognosces, quia, vt ibidem tradit Athen. ferè statim illam tradidit, Asciocho nauigationis Comi- Arist. Athen.

ti vtendam. similiter & ille Amor Odatidis, & Zariadrę sine dubio maior, ac perfectior fuisset, si à principio se inuicem proprijs oculis videre potuissent; sicut credendum est, maiorem postea euasisse, cum ex vero aspectu se ipsos intueri fortuna concessum est, quam dum per solum somniū, ac per visiones solum nocturnas amarent.

An sit necesse, vt ille, qui amat, etiam uiceuersa ametur. Cap. XII.

QVod omnis Amās debeat reamari, concedūt multi, & cupiunt oēs Amantes; sed quod hoc sit necessarium, nō omnes Philosophi admittūt. qui putāt, hoc esse necessarium, ita argumentantur: Amor nascitur ex quadam similitudine, quam habet Amās ad Amatū; ergo sicut Amans amat Amatum ratione huius similitudinis, ita etiam Amatus iure eiusdem debet, & cogitur reamare amantem: similitudo enim, vt inquit Marsil. in Sympos. Orat. 2. cap. 8. est quædam natura in pluribus eadem: sicut amans est similis Amatò, ita etiam est necesse, vt vice versa Amatus sit Amanti consimilis; ergo ratione similitudinis, necesse est, vt omnis Amans vice versa ametur. & confirmatur ratio; quia ista similitudo vel nascitur ex temperamento naturali, vt dicunt philosophi, vel ex influxu Cœli, vt dicunt Astrologi; sed tam Natura, quam Cœlum ex sententia Arist. ex necessitate agunt semper, & quantū possunt; ergo illud temperamentum, vel influxus, qui co-

Mars.

git Amantem, vt amet, debet etiam necessario cogere Amatū, vt vice versa reamet Amantem: Et hunc mutuum Amorem tanti faciunt Platonici, vt dicant, *A*matū non reamantem posse puniri tanquam furem, homicidam, & sacrilegum, vt dictum est supra cap. 2. ex Marsil. ac triplici morti esse obnoxiū; est fur, & latro, quia rapit, furaturq; *A*nimam Amantis: est homicida, quia, cum non reamet, dicitur in se ipso occidere Animam *A*mantis, solummodo in Amato viuentem; & cum rapiat, occidatq; animam, quæ est res diuina, & sacra, iam efficitur etiam sacrilegij reus; ergo tanquam omnino infamis, & prophanus deberet, si esset possibile, pluries mori, & potest à quocunq; impunè occidi; igitur *A*matus, vt effugiat has pœnas, debet, & tenetur reamare *A*mantem. & iniustus etiam efficitur omnis *A*matus, non reamans; tum quia rapit alienum, tum etiam, quia non reddit vnicuiq;, quod suum est; ergo est ingratus, & iniustus ergo tenetur reamare.

Ex altera tamen parte experientia, quæ dicitur efficax rerum Magistra, quotidiè nobis ostendit, hoc non esse necessarium, raro fieri, immò & quandoq; etiam esse impossibile, vt omne, q; amatur, vice versa amet; Hinc *A*rist. 7. Eudem. 5. *in actu necessario Amans est, redamari autem p accidens contingit, & latere potest.* & 8. Nicom. cap. 8. *Vnde Amatores ridiculi interdum videntur, dum sicut amant, ita se esse amandos censent, si simili modo sanè essent amabiles, fortàsse censere ita deberent, cum verò nihil huiusmodi habent, ridiculum est.* hinc sæpius audis querelas, & Amantium suspiria, quorum Poetarum *Arist.*

volumina sunt plena; qui solum de hoc conqueruntur, vt cum ament, vice versa non amentur; & tot querelis nil aliud ostendere conantur, nisi illam grauissimam iniuriam, quam facit Amatus non reamato Amanti. Præterea iste Amor etiam in voluntate consistit; Vndè Marsil. Ficin. definit Amorem, quod sit mors voluntaria, vt vidimus supra cap. primo.& 2. & supra cap. 4. diximus ex Plat. quod Amor ideo est iustus, quia non nisi cum volente contrahit; & Xenoph. de Instit. Cyri lib. 5. n. 116. inquit, *quod Amor est res vltronea, spontanea, & in voluntate posita.* igitur sicut uoluntas nõ potest cogi, ita nec ẽt cogitur Amatus, vt reamet Amantem. Præterea amamus multa, quæ nec etiam, si vellent, possent nos amare; amamus panem, vinum, piscem: & tamen ista nos non reamant: Vndè Aristippus, vt refert Plutarc. in Amat. cum amaret Laidem, nec ab ea amaretur, & propterea à quodam increparetur, respondit: *A vino quoq; & pisce non puto me amari, & tamen vtroq; libenter vescor*; amamus aurum, argentum, & similia, & vt inquit Arist. in 2. Magn. Moral. cap. 12. *at neque ab inanimatis Amorem esse continget reciprocum, Amor tamen erga inanimata est; vt vinum, vel huiusmodi aliud*, & hæc nos non reamant, sed nec etiam possunt reamare; ergo non est necesse, vt qui amat, vice versa ametur; & propterea tunc bonę fortunę tribuunt Amantes, & illos tunc nos fortunatos appellamus, quod Amantes inuenerint Amatos vice versa Amantes.

Marsil. Ficin.

Xenofil.

Plut.

Arist.

Ego puto, qđ secundum leges Amoris, de honestate, & æquitate omnis, qui amat, deberet etiam vice versa

Amari

Amari; vndè Auson: Epigram. 78. & 79. *Auson.*

Hoc quod Amare vocant, misce, aut dissolue Cupido,
Aut neutrum flãmis vre, vel vre duos.
Aut restingue ignem, quo torreor, alma Dione,
Aut trãnsire iube, uel face utrumq; parem.
Aut amare illud expunge, ò Amor, totum, aut amari
Adiunge, uel soluas desiderium, uel misceas.
Si duob⁹ nõ potuisti æqualẽ flãmã, ò ignifer Amor ĩcẽdere,
Vni incensam vel serua, uel transfer.

Sed quod hoc sit necessarium non puto; fateor quidẽ, quod in Amore perfecto, perpetuo, & duraturo, omnis qui amat, debeat etiam necessario, vice versa reamari, necessitate subsequente, nõ antecedente, necessitate effectus non causę necessitate ex suppositione, non absoluta; quia qui amat, si diu, & longo tempure est amaturus, est necesse, vt reametur; alioquin etiã in eo breui spatio tẽporis extinguetur, quia solus Amor est cibus Amoris, & solo Amore pascit, & nutritur Amor; Vndè si Amatus nõ reamat, nec etiã Amor Amantis diu viuere potest.

Et ad primam rationem de similitudine, nego, quod semper amor nascatur ex similitudine, sed vt plurimũ, Amor, & Amor hic noster prę sertim lasciuus, oritur potius ex quadam alia complacẽtia, & delectatione Amãtis, quam ex naturali similitudine, vt colligi potest ex Arist. in 9. Moral. Nicom. cap. primo. quod etiam ex hoc clarè cognosces; Tu amas vnam mulierem, & illa etiam te vice versa amat, per vnum, per duos, per tres annos; deindè tu eam non solum amas, sed immo potius odio habes; *Mutatis .n.* vt inquit Arist. 7. Eudem. 3. *Arist.*

pro ætate moribus, etiam iucundum mutant. dices ne forte hunc Amorē fuisse natū ex naturali, & mutua similitudine? nequaquā; quia si esset natus ex naturali similitudine, duraret Amor, quam diu durat similitudo, & hæc posset durare etiam per decem annos, & tamen ille Amor minori tempore durat, quia cessat delectatio ex parte tui; Immo etiam si tu illam odio habeas, illa tamen perseuerat quandoq; in Amore, quia illa adhuc sentit delectationem ex Amore tui. Vnde Auson. eleganter Epigram. 90.

Auson.

Hanc amo, quæ me odit, cōtra, hanc quoniā me amat odi:
Compone inter nos, si potes, Alma Venus.

Eritne ergo nunc iste Amor ex similitudine natus? Quænam similitudo Amoris cum odio? illa te amat, illam tu odis, vbi adest similitudo? ergo signū est, Amorem non semper nasci ex similitudine, sed magis ex delectatione, vel vtilitate, vt colligi potest ex Arist. loc. cit. Vnde nec etiam propterea est necesse, vt qui amat, vice versa ametur ratione similitudinis.

D. Tho. Hic tamen posset aliquis respondere ex doct. Diu. Thom. quam attulimus supra cap. 2. quod cum vnus possit dici similis alteri, vel potentia, vel actu; & tu quāuis odio habeas illam mulierem, tamen in potentia es illi similis; Et quia illa tibi est similis in actu, potest te amare; sed ex illa similitudine in potētia, qua tu de potētia, potes illi euadere similis in actu; ita etiā iste Amor in hoc casu à similitudine prouenit.

Sed omissis istis subtilitatibus, dico quod dato, & concesso, Amorem nasci ex similitudine, non tamen est ne-

cesse, vt omnis, qui amat, etiam viceuersa ametur rõne similitudinis, quia ad generationem Amoris, præter similitudinem, debet etjam concurrere voluntas Amantium, quæ voluntas, cum sit libera, & supra vires naturę & temperamenti, potest etiam impedire, vel saltem etiã retardare effectũ illius similitudinis, vt nõ cogatur amareq; si non velit, & ad confirmationem respondeo, quod dato, istũ Amorem nasci ex similitudine temperamenti, vel à natura, vel ab influxu cœlesti: attamen sicut in alijs rebus, natura, & corpora cœlestia sunt solum causæ generales, & vniuersales, & præter illas ad aliquẽ effectum producendum requiritur aliqua alia causa particularis, vt etiam doctissimè animaduertit D. Thom. p. p. sum. q. 73. art. 4. in corp. Vndè dicit Arist. ĩ 2. Physic. Text. 26. quòd non solus sol nec solus homo, *Sed sol, & homo generant hominem;* sol tanquam vniuersalis, & homo tanquã causa particularis, ita etiã in generatione Amoris, quamuis natura, & influxus cœlestis inclinaret hominem, vt amaret hanc, vel illam Mulierem, præter tamen ista, requiritur etiam in *Amante* aliqua alia causa particularis huius *Amoris*, vt puta voluntas Amantis, quæ cum non possit cogi, nec etiam debet cogi Amatus, vt necessario reamet, si non vult. hinc dicit Arist. 13. Moral. Nicom. cap. p. *quod in ijs, quæ iucundè, & cum uoluptate fiunt, quis nõ debet referre causam in externa, sed in se ipsum, qui huiuscemodi rebus, facile capitur.* ergo et ipsa voluntas interuenit. *Arist.* *Arist.*

Et illæ rationes Marsil. Fic. & aliorũ Platonicorũ sũt potius morales, quam necessariæ, & pcedũt de æquitate & honestate, nõ autẽ de necessitate, & rigore iuris Amoris. *Marsil.*

Expli-

Explicatur Philosophia Platonis de Amore, Amorq́; qui Platonicus appellatur, breuiter declaratur. Cap. XIII.

PEruenimus tandem ad desideratam Philosophiam Plat. de Amore, & ad Amoris Platonici declarationem, qui, vt videbimus, apparebit multum diuersus, ne dicam contrarius, ab eo, quem multi malè intelligentes Platonem, Platoni tribuunt; ex quo fit, vt dum illi conantur, & ostentant se explanare Platonem, potius eum calumnientur, quàm explicent.

Plato. Existimat itaq; Plato in Timeo, animas nostras præexistere etiam, antequam generetur homo, ac tot esse, quot sunt astra, & in vnoquoq; astro vnā adesse animā, nec plures, nec pauciores animas, sed iuxta numerū stellarum definitas his verbis. *Denique, cum uniuersum cōstituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisq́; tanquàm uehiculo impositis mōstrauit uniuersi naturam, ac leges fatales dixit*; & dum sic manent istæ animæ, sunt beatæ, ac omnibus scientijs præditæ, ac summo bono fruuntur, quia tunc diuina omnia contemplantur, & sciunt, vt latè ostendit in Phœd. Sunt tamen procliues, à legibus fortè fatalibus, ad generationem, & ad informationem corporum; & ideo dum generatur aliquod corpus sub aspectu huius stellæ, statim anima huius stellæ descendit ad informandum illud corpus sub aspectu suæ stellæ fabricatū, vt docet Franciscus Piccol. in reb⁹ Platonicis maximè versatus in 2. lib. de hum. mente cap. 19.

Piccol.

Sed

Sed hic statim insurgit grauis, & pulchra difficultas. Nam si vna stella non habet nisi vnam animam, & sub aspectu vnius stellæ possūt generari, vel simul, vel successiuè plura corpora, dum illa anima descendit in vnum corpus, & dum in eo manet, alia corpora fabricata sub aspectu eiusdem stellæ, quomodo informabuntur? & à qua nam anima? præterea dicit Plato in Phœdon. & alibi, quod illa anima, quæ incorrigibiliter multa scelera cõmisit, detruditur in Tartarum, vndè nunquam egreditur; ergo astrum illius animæ erit destitutum sua anima, & sic non quodlibet astrum semper hēt propriā animam, & tunc generatur aliquod corpus sub aspectu illius astri, quomodo poterit informari, & à qua nam anima? non ab anima illius astri, quia iam propter scelera est tartaro alligata, nec etiā ab vlla alia anima, quia anima diuersæ stellæ non habet proportionem ad corpus, ꝙ sit fabricatum sub aspectu alterius stellæ; videtur ergo dicendū, multa astra posse reperiri in suis animabus, & multa corpora posse generari, quæ non poterunt informari, etiam secundum principia Platon. difficultas quidem est grauis, & multum apparens.

Pro solutione tamē dicamus, quod dum anima alicuius astri descēdit in aliquod corpus, nō dicitur tota descēdere, sed solum quędā participatio eius animæ, tanquam radius astri descendit, ideo in astro semper remanet fōs & principium animæ; & astrū dicitur emittere animas sicut emittit radios; & quia cum emittit radios, nō tamē remanet destitutum radijs, & luce: ita etiam dū emittit animas, nō remanet destitutum anima, vt docet Piccol.

loc.cit: quo stante fundamento, non obstat ex citata difficultas; quia quamuis multæ animæ propter scelera maneāt in tartaro: fundamentum tamen, fons, & principiū animæ semper remanet in astro; igitur nunquam astrū erit destitutum sua anima: & dum vnum corpus fabricatur sub aspectu huius stellæ, & iam per illam animam informatur: si tamen generantur alia corpora sub eadē stella, omnia tamen poterunt informari ab anima illius astri: quia cum anima nō tota descendat, sed tantū quædā eius participatio, illa anima semper retinet alias participationes, & vires, vt possit informare quotquot corpora sub aspectu suæ stellæ generātur; & sicut astrū emittens radios, non tamen remanet destitutū luce, & radijs quominus possit splendere, & illustrare: ita anima astri nunquam remanet destituta viribus, vt non possit alia corpora informare; sed, vt ita dicam, vna anima tot alias animas, & vires continet, vt quot quot corpora generātur sub illa stella, omnia possint informari ab illa anima & de ea participare.

Igitur ad rem nostram redeundo, anima dū manet in suo astro, est beata, & omnibus scientijs prædita, quæ dum per inclinationem, & propensionem descendit ad informandum aliquod corpus, præter cōmixtionem cū hac crassitie terreni corporis, contaminatur, & læditur, & obliuiscitur totius illius scientiæ, qua prius cognoscebat diuina: retinet tamen semper propensionem ad suū astrū, & quia illa, quæ prius contemplabatur erāt bona & pulchra, cum essent diuina, ideo cum in hoc orbe inferiore videt aliquod formosum corpus, quod bonam

habeat

habeat indolem virtutis, statim excitatur, moueturq; & recordari incipit, propter species impressas, quas secum tulit, illius pulchritudinis, quam prius erat solita intueri, antequam descéderet; & ita per externam pulchritudinem formosi, & virtuosi corporis eleuatur ad contemplationem virtutis, & pulchritudinis cœlestium; *Amor. n.* vt inquit Plutar. in quęst. Plat. quęst. 5. *est pulchritudinis corporis inhærentis, pulchritudo autem similitudine rerum diuinarum mouet animum, eiq; res in memoriam redigit;* quemadmodum Pueri, qui ex breui quadã quãdoq; figura, magnam plantam alicuius turris considerant: ita Amor in nobis operatur, qui ex breui & imperfecta etiam quandoq; pulchritudine alicuius corporis, nobis exhibet cognitionẽ, & cõsideratione cœlestiũ corporũ, vt inquit Plut. in Amatorio; *sicut Geometræ, pueris, qui nõdum initiari per se possunt, formarum corporis, & passionis expertium, contemplationi, tactilia, & visibilia effigentes exempla Spherarum, cuborum, dodecadorum proponunt; sic nobis cœlestis Amor pulchrorum pulchra specula, mortalia, & motibus obnoxia, diuinorum, & sola mente cernendorum machinatus; in figuris, coloribus, formisq; adolescentium rutilantia, ea nobis exhibet, memoriamq. his initio inflammatam, sensim excitat.* Et quia, vt inquit Plat. in Phædr. *sola pulchritudo hanc habuit sortem, vt maximè omnium & perspicua sit, & amabilis,* ideo, cum duplici modo possit amari, in se ipsa, & propter se ipsã tantum, & etiã tanquam obiectum excitans, & eleuans ad contemplationẽ cœlestium; hinc etiam duplex consurgit Venus, & duplex Amor, cœlestis, & corporalis, bonus, & prauus: dũ

Plutar.

Plat.

amamus pulchritudinem primo modo, tunc insurgit Venus, & Amor vulgaris, & corporalis, quo possunt amari tam Masculus, quam fœmina, & corpus tam bonæ, quam malæ indolis, & tam aptum ad virtutem, quã non aptum; & hoc Amore amatur solum delectatio carnalis, nec amans amat virtutem, vel aptitudinẽ ad virtutem, sed solum corpus, & corporis delectationẽ. Vndè Plat. Pausan. in Conuiu. inquit, *Primo enim quẽ Amorem laudare deceat explicabo, deinde pro Dei istius dignitate, extollere nitar. Neminem profectò latet, absq; Amore Venerẽ nunquã esse; quarè si vna esset Venus, vnus & Amor: quoniam verò duæ sunt Veneres, geminum quoq. Amorem esse necesse est; geminam autem Deam hanc esse, quis neget? nõ ne vna quædam antiquior est, & sine matre Venus, Cælo nata, quam cælestem Venerem nuncupamus? altera verò Iunior, è Ioue & Dione progenita, quam Pandemum, idest vulgarẽ, communemq; vocamus? necessarium itaq; Amorem Veneris illius socium, atq; adiutorem, cælestem vocari, huius verò vulgarem:* & infrà eadem oratione, *non quilibet Amor, & quiuis amandi modus honestus est, & laudandus, immo ille solus, qui honestè nos amare hortatur: Etenim vulgaris, communisq; Veneris Amor re vera est ipse vulgaris, atq; is est, quo praui, abiectiq; homines amant: amant porrò fæminas non minus, quam Masculos, & corpora magis, quam animos, & sine mente homines potius, quam prudentes; ad explendum sanè desiderium inhiant: honestè verò nec ne expleant, omnino non curant, quò fit, vt quodcunq; sors illis offert, exequantur & bonum similiter, atq; malum.*

Dum verò ista pulchritudo amatur secundo modo,

quatenus excitans, & attollens Amantem ad contemplationem cœlestium; tunc bonus est iste Amor, & laudandus omnis Amans, & omnis etiam Amatus: Amans enim hoc amore propter virtutem solam amat, & solam virtutem considerat, & propterea amat amatum, qui sit vel magis virtute prædit⁹, vel magis ad virtuté aptus; ex quo fit, vt non debeamus amare fœminas, sed Masculos, nec Pueros, sed Adolescentes, nec quoslibet, sed generosos, nec pulchros solum, sed ad uirtutem magis aptos. Nam fœminæ non sunt ita aptæ ad virtutem, sicut Masculi, nec Pueri sicut Adolescentes; incertum est .n. qualis sit euasurus Puer: & pulchri solū sine virtute, vel aptitudine ad virtutem, non possunt nos eleuare ad virtutem; quare Adolescentes generosos, uirtute præditos, vel ad virtutem aptos; magis amare debemus, quā fœminas, vel solum pulchros. Vnde ibidem Plato inquit, Plat.

Amor autem, qui cælestem sequitur Venerem, quæ non fœminæ, sed masculi tantum sexus est particeps, Puerorum tātum est; deinde quoniam antiquioris Veneris est comes, & ipse petulantiæ omnis est expers, quo circa quicunq; Amore hoc inspirati sunt, genus Masculum natura robustius, & generosius, & mentis magis particeps diligunt; & qui amore hoc sincerè, perfecteq; sunt rapti, ex hoc perspicuè dignoscuntur, quod pueros non Amant, sed adolescentes, cum mente valere iam cœperint, quod tunc accidit, cum proximi sunt pubi; neq; enim Pueros adhuc mentis expertes amant, ne in re ambigua tantum studium ponunt; incertum enim est, quo aut corpus, aut anima Puerorum, tam secundum virtutem, quam secūdum vitium postremò euadat; eosq; præcipuè, qui generosi, &

Z 2 optim-

optimi sunt, etiam si minus formosi, quam alij videantur, igitur solummodo Adolescentes ad virtutem aptos amare debemus.

Præterea, dicit in Orat. Socrat. quod quemadmodum illi, qui filios, & successionem cupiunt, intenti sunt generationi, & cum sint fęcundi; quærunt in quo possint generare: ita illi, qui sunt grauidi, & fęcundi virtute, quærunt, in quo possint generare virtutem, & ideo dum formosum, & pulcrum Adolescentem, & ad virtutem aptum conspiciunt, tanquam sibi proportionatum, in quo possint concipi, & generari Virtutes, statim illius Amore capiuntur, illius conuersationem quærunt, & illi adhærere cupiunt: & sicut qui sunt fæcundi corpore, quærunt Amorem fęminarum, quia ex eis solum valent generare prolem: ita qui sunt fęcundi virtute, sequuntur Amorem Puerorum, quia in illis solum valent veram generare virtutem: & quemadmodum virtus, & scientia est nobilior corpore, & carne: ita etiam istos filios, sic per virtutem genitos, & istos Amantes propter solam virtutem amantes, nobiliores iudicamus, & chariores sunt, quam filij carnales, & Amatores corporales tantum; quia filij per virtutem sic geniti eleuant nos ad celestia, Amantes vero corporales, tanquam bruta, non eleuantur, ibi: *Quicunq; igitur corpore fæcundi sunt, ad fæminas se magis conuertunt, atq; ita amant, & filiorum generationem, immortalitatem, memoriam, fælicitatem per omne tempus assequi sperant, sunt & qui animam grauidam, atq; fæcundam magis, quam corpus habeant, hi sane concipiunt ea, quæ animæ, & concepisse, & concepere conuenit, sed* Pla.

quidnam conuenit? prudentiam videlicet, aliasq́; Virtutes; quarum rerum Poetæ omnes genitores sunt: quisquis ergo virtutum huiusmodi natura plenus, & grauidus est, ideoq́ diuinus, ætate debita imminente, parere, iamq́ generare affectat: & idcirco passim vagatur, quæritq́ pulchrum, in quo generet, in turpi namq́ minimè generaret: quapropter corporibus speciosis magis, quam deformibus gratulatur, vtpote prægnans; quod si animā præterea pulchram generosam, docilemq́ reperiat, vtraq́ pulchritudine concurrente, mirificè delectatur, & coram homine illo confestim de Virtute loquendo, facundia pollet, qualis esse debeat vir bonus, edisserens; quod vè sit eius officium, atque hac doctrina imbuere illum studet: adhærens quippè pulchro, eoque familiariter vtens, quæ quondam conceperat, parit, & gignit; & infra, oportet eum, qui ad hoc recto tramite sit progressurus, statim ab adolescentia, pulchra corpora contemplari, & primum quidem si modo rectè ducatur, vnum corpus amare, ibique rationes pulchras producere: cogitare deinde pulchritudinem, quæ cuique corpori inest, alterius corporis esse germanam: & in Phæd. inquit. *At uero pulchritudo sola hanc habuit sortem, vt maximè omnium perspicua sit, & amabilis: qui ergo non est mysterijs nuper initiatus, aut potius est deprauatus, haud celeriter hinc illuc ad ipsam pulchritudinem excitatus; similitudinem hic quandam, quæ ab illa denominatur, aspiciens: quapropter non veneratur dum aspicit, sed quadrupedis ritu, deditus uoluptati, aggredi, & cōcumbere nititur, petulanterque congrediens, nec timet, nec erubescit, uoluptatem præter naturā sectari: sed qui nuper expiatus est sacris, quiuè aliquando est plurima contemplatus, quando vultum diuina forma decorum uidet, aptèque ipsam pulchritudinem*

chritudinem imitatum, uel aliquam incorpoream speciem, primo quidem horret, metusque uetus aliquis in eum reuoluitur, deinde inspiciens, tanquam Deum colit, ac nisi uereretur uehementis insaniæ crimen, sacra Amatis non aliter, quam Dei statuæ faceret.

Sic itaq; ex sententia Plat. duplex est Venus, & duplex consurgit Amor, cęlestis, & corporalis, vnus in Virtute; alter in voluptate fundatus, vnus diuinus, alter carnalis, vnus bonus, alter vero malus, & damnandus. Vide, & D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 14. cap. vlt. & in psalm. 64. paulo post principium inquit, *quod duo Amores, duas fecerunt Ciuitates: Amor Cælestis Cælestem facit Ciuitatem, terrenus autem terrenam; & si quis interroget seipsum, quid est illud, quod amat, statim inueniet, unde sit Ciuis*; & solum cęlestem, & diuinum magnificat Plato, alterum vero maximè damnat, & ab eius Philosophia est alienissimus. Vnde idem Plato: *Prauus autem est Amator ille vulgaris, qui corpus magis, quàm animum amat, neque enim stabilis est, cum rem amet minimè stabilem; simul enim vt corporis flos, quem cupierat, deflorescit, abit, atque auolat, nihil eorum, quæ promiserat, seruans: Bonorum verò morum Amator, per omnem vitam, in Amicitia perseuerat, vtpotè qui rem stabilem sectabatur.*

D. Au.

Plato.

Ex quibus omnibus tandē colligitur Amorem hunc Platonicum, quamuis sit pulchrorum iuuenum, esse tamen honestum, & in hoc nos iuuare, quod per illum possumus exercere virtutem, ad virtutem per nostras virtutes eleuari, & ad contemplationem verę virtutis, veri pulchri, Amoris veri, & omnium cęlestium, & infrà

stis, hic autem est ipsius Cælestis Deæ Amor, cælestis & ipse, qui tam priuatim, quam publicè pretiosus est, & Amantem pariter, atque Amatum virtutis curam, studiumque suscipere cogit. Vnde Plutarc. in Amat. paulo post medium, inquit, Veteres Poetas ideo finxisse Amorem esse filium Iridis, & Euronij, quia sicut Iris nihil aliud est, quam refractio quædam radiorum solis in nube rorida, leui, & mediocriter illuminata; *sic & Amoris callidū cōmentum in generosis, pulchrisque Amantibus quandam efficit refractionem memoriæ, ab ijs, quæ foris apparent, & dicitur pulchra, ad diuinum illud amabile, vereque beatum, & admirandam pulchrum: ibi enim refrangitur ad diuinā, & sola mente contuendam pulchritudinem, & pulchritudine oblata uisibilis corporis, eo uti tanquam memoriæ instrumento, satis habet, & in eius consuetudine lætitiaque indè percepta, magis etiam* Intellectus *ipsis inflammatur, qui enim uere est Amatorius, eo profectus, & quantum fas est, pulchrorum usus consuetudine, alatus est, & orgijs initiatus, semper circa Themidem versatur, sursum choreas ducens, atque una circumuehēs, donec rursus in Luna, &* Veneris, *prata ueniens, & obdormiens nouum ortum auspicetur*: quod etiam explicat Proculus, in rebus Platonicis versatissimus, dum in libro de Anima, & Demo. inquit, *Sic & animæ, quo uitam amatoriam elegerunt, mouentur quidem à Deo pulchrorum Præside, ad curam animorum ingeniosorum: à pulchritudine uerò sensibus apparente ad diuinam pulchritudinem rediguntur, secumque ipsis conuocant &* Amatos: sicut. n. anima Amore descēdit, ita etiam Amore ascendit: descendit è Cælo in Terras Amore, ac propensione terrenarum; ascendit è Ter-

Plutar.

Procul.

ra in Cœlum per Amorem hunc externum ad verum Amorem cælestium: Vnde putarũt Platonici, duas in Cęlo adesse ianuas, vna quarũ descenderet Anima, altera verò ascenderet, harumq. ianuarum claues penes Amorem esse, sine quo descenderet, nec ascenderet Anima. Vnde non sine aliqua ratione Amorem pinxerunt nõnulli duas claues manibus tenentem, vt docet Vincent. Chartar. de Deor. antiq. imagin. de imag. Cupido prope finem his verbis. *Platonici quoque in ea sunt sententia, vt putent, animos nostros è Cælo in mortalia, hæc corpora delabi cum Amore, quopiam erga ea teneantur, eosdemque his vinculis exutos ad Cælum conscendere, cũ Terrenorũ Amore vacui totos se ad cœlestia amanda conuertunt. Quidam etiam asseruerunt, duas in Cælo ianuas esse, per quarum unã Animi è superioribus ad Inferiora descenderent, per alteram è contra ab his ad illa conscenderent: hanc deorum, illam hominum dixerunt: ambarum ianuarum claues penes Amorẽ esse Orpheus uolebat, ita ut absq; eius arbitrio nemini transitus ex uno in alterum locum daretur, quare non absurdè Amor geminas in manibus claues habens depingi posset.*

Hic mihi tamen insurgit difficultas, quod iste Amor Platonis non videtur ita honestus, & omninò castus, & prorsus ab omni delectatione corporis alienus, prout ipse explicat, & hactenus vidimus; immo mihi videtur, quod in Phędro permittat Amantẽ, etiam ita bonum, & diuinum, & cœlestem, posse quandoq; frui aliqua delectatione corporali, & copula etiam, inquit enim, *cupit ergo fermè, ut ille, quamuis moderatius, uidere, tangere, amare, osculari, considerare, & ut par est, post hac protinus* hæc

Chart.

Plat.

hæc facit:in ipsa igitur consuetudine, Amatoris quidem Equus intemperans Aurigam compellans, breuem efflagitat pro multis laboribus uoluptatem. Sed tamen hoc non est verum, quia est appetitus sensitiuus, qui hanc voluptatem exoptat? ibi *Amatoris equus intemperans*: sed equus rationis, & mentis statim aduersatur, nec patitur huiusmodi voluptatem; & si secundum hunc viuant, beatam vitam agunt, vt patet ibidem in sequentibus verbis.

Restat modo, vt ordinē, & modū consideremus, quo in nobis generatur iste Amor, & media, quibus per talē Amorem eleuentur, Platonica ad contemplationem veri Amoris, & veri pulchri.

Putat igitur Plato, vt etiam supra dictum est, animas præexistere ante generationem corporis, & animalis, & tunc esse præditas cognitione omnium rerum, sed per descensum, dum vniuntur materiæ, & corporibus, contaminantur, obliuiscunturq; cognitionis, & scientiæ omnium illarum rerum, quas antea cognoscebant; semper tamen secum retinent quasdam species, quas vocāt impressas, quibus Animæ cito valent, dum excitantur, recordari illarum rerum, quas prius erant solitæ intueri. Itaq; dum Anima in hoc corpore existens, videt aliquā pulchritudinem, quæquę tamen sit, esse similē, & factam ad imaginem illius pulchritudinis, quam prius erat solita intueri, antequam descenderet, & propterea hac existimatione excitari, & eleuari incipit, & recordari antiquæ illius pulchritudins corporum coelestium, Et ideo quò magis eleuatur, magis etiam amare incipit, & diligere hanc pulchritudinem exteriorē, & quò ma-

gis amat, & diligit, magis etiam eleuatur, & quò magis cognoscit hãc, & amat hanc exterioré, eò etiam magis recordatur illius antiquæ pulchritudinis; Vndè fit, ut ꝑ talem cognitionem, Amans vellet semper conuersari cũ ista corporali pulchritudine, illiq; semper magis, aç magis adhærere, quia paulatim, & sensim sentit se magis perfici, & eleuari; ex quo propterea fit, vt Amans Amato sit omnium molestissimus, & importunus; at ex nullo alio melius valemus cognoscere hunc Amorem Plat. quam ex verbis eiusdem Plat. cum præsertim tanta sit suauitas, & elegantia Platonis in dicẽdo, vt dicat Cicero quod si Iupiter humana lingua loqui voluisset, non alia, quã Plat. Lingua fuisset locutus; ergo tantò magis nos debemus, quando possumus, vti verbis illius, maximè cũ de eius Philosophia tractatur; dicit itaq; in Phædr. *Intuetem vero ipsum velut ex horrore permutatio, sudor, & ardor insolitus occupat; quando enim pulchritudinis influxũ per oculos accipit, calefit, quo pennarum natura irrigatur; feruet itaq; tunc omnis, & prosilit, atq; vt infantes, quum dentes emittunt, pruritu, & dolore gingiuarum vexantur, ita & pennas emittentis anima feruet, & titillatione, molestiaq; afficitur; itaq; cum Pueri pulchritudinem intuetur, cupidinemq; inde effluentem imbibens irrigatur, calescitque, dolere iam desinit, atque lætatur: tota igitur anima, vndique saucia stimulo concitatur, & angitur, rursusque memor pulchritudinis delectatur; ex vtrisque vero permixtis, passionis huiusmodi vehementia, & nouitate vexatur, & ardet, furit, atque insanit; sic affecta præ furore, neque nocte dormire potest, nec die vsquam consistere, sed passim discurrit desiderio pulchri*

videndi perculsa; & infra: *Hæ vero quando hic similitudinem aliquam eorum, quæ illic inspexerant, intuentur, obstupescunt, & quasi extra se ponuntur.* Et supra dixit: *Amans vero præter quam quod noxius, est etiam sua consuetudine omnium molestissimus; præterea dum amat, perniciosus, & importunus est*; hoc igitur modo amare incipit, & eleuari ad contemplationem pulchritudinis cœlestium: in Cęlumq; ascendere dicitur. Pro quo ascensu animæ, fingit Plato ipsi animæ duas Alas, Currum, Aurigam, Equos, Calcaria, Habenas; & quod tandem in dorso Cęli adsit Mensa, & quod in fine Auriga sistat Equos ad Præsepe, illisq; obijciat Ambrosiam, & post ipsam Nectar potandum, inquit ibidem Plato: *similis esto cognatæ potentiæ subalati Currus, & Aurigæ; deinde Equorum alter bonus, & pulcher, & ex talibus alter contrarius, & ex contrarijs; quo fit, vt dura, & difficilis necessario sit nostra vectura*; & infra: *Equorum autem alter bonus, alter non; bonus excellentiori habitu est, specie rectus, membris expressus, ardua ceruice, naribus modicè aquilinis, nitido colore, nigris oculis, honoris cupidus, temperantiæ, pudorisq; particeps, ac veræ opinionis Amicus, nullis stimulis indigens, sed cohortatione, solaq; ratione regitur; Alter intortus, & multiplex, temereq; delatus, fususque, & confusè compositus, rigenti, & dura ceruice, atque demisso collo, simo vultu, fusco colore, oculis cæsijs, sanguine suffusis, morosus, & contumax, hirsutis auribus, atque surdis, vix flagello, stimulisque obtemperans.*

Plato.

Hac mysteriosa Metaphora vult describere Plat. ordinē, & Maiestatem, quibus Anima per virtutes, & Amorem dicitur Ascendere, & reuerti in Cœlum, prout ex-

plicando videbimus. Marsil. Ficin. in Phedr. & Franc.
Marsil. Piccol. Piccol. in 9. grad. Moral. Philosophiæ. capitu. 21. ambo in rebus Platonicis versatissimi, declarant, quod Plato per eas Metaphoras, vult denotare potentias, & facultates Animæ.

Per Aurigam .n. denotat mentem, quæ est caput, & dux huiusmodi peregrinationis: per currũ denotat Animæ vehiculum, vt omnes dicunt, sed cum multiplex sit huiusmodi vehiculũ, & præsertim triplex, vt elegantissime
Teupol. Piccol. sime docet Steph. Theupol. lib. 4. Academ. contempl. cap. ij. & idem Piccol. in lib. de rerum definition. cap. de vehiculis prope finem, æthereum .s. i. astrum & stella Animæ; spiritosum .i. sanguis tenuis, vel spiritus per corpora nostra diffusus, & corpus hoc nostrũ Terrenum, & crassum, quod non propriè vehiculum, sed quasi vehiculum dicitur à Plat. in Tim. & in Phædr. vehiculum ostreaceum, & ab alijs animæ sepulchrum, vel carcer; cum itaque multiplex sit hoc Animæ vehi-
Marsil. culum, Marsil. in Phædr. ait quod currus, in quo Anima ascendere dicitur in Cœlum, est corpus cœleste, atque sempiternum, ibi: *Singulis vero animabus currus accommodat, idest cælestia corpora, atque sempiterna*.

Sed pace tanti Viri, puto Ego eum in hoc pugnare cũ principijs Plat. Nã si hoc cęleste corpus est astrũ, & astrũ debeat dici vehiculũ animæ; cũ astrum sit in suo Orbe, & Anima dum ascendit per hunc Amorem, sit adhuc in hac massa corporali, & corruptibili, quomodò Anima dicetur ascendere, & sedere in Curru, idest in stella,

si stella est in suo Orbe, & Anima in hoc corpore mortali? quare, vt vides, iste currus Marsilij claudicat, nec bene currit.

Piccol. dicit, hunc Currum esse æthereum Animæ vehiculum; quod etiam fortè similem pateretur difficultatem, nisi cum Theupol. distingueremus, hoc vehiculum æthereum esse duplex, & duo significare; accipitur enim primo pro Astro, & stella Animæ, & secundo pro quodam cœlesti spiritu, qui radius illius Astri dici potest, & habet similitudinem suæ stellæ, quem Animæ, dum ab Astro in corpus descendunt, dicuntur secum ferre; per hoc igitur æthereum vehiculum Piccol. possumus dicere cum Theupol. esse spiritum, & radium quemdam stellæ, quem anima secum fert, non autem esse ipsum corpus stellæ.

Vel possumus dicere, & fortè etiam melius, quod iste Currus animæ sit ille sanguis tenuis, & spiritus per corpora nostra diffusus, in quo dum residet Anima, est magis apta contemplationi, & quò purior est spiritus, & sanguis, eò etiam melius, & viuacius, vel etiam subtilius contemplatur, & philosophatur anima; & quia per contemplationem ascẽdere dicitur, ideo oportet illi assignare currum, & vehiculum aptum contemplationi; dum enim Anima ascendit per talem Amorem, est adhuc in hoc mortali corpore; ergo oportet illi accõmodare currum, qui sit proportionatus illi statui Animę; dum contẽplatur; talis est ille spiritus, & sanguis tenuis; igitur rationabiliter possumus dicere, puriorem spiritum, & sanguinẽ tenuiorem esse proportionatum animę vehiculũ pro

tali

tali ascensu; Vnde & Plutarc. in lib. de Homer, ait: *Sciebat enim sanguinem esse alimentum spiritus, ac spiritum esse, vel ipsam animam, vel animæ vehiculum*; sed quidquid sit de hoc, transeamus ad alia. Auriga ergo est mēs, Currus, animæ vehiculum: Alæ, & Pennæ sunt facultas intelligendi, cum instinctu ad verum, & facultas agendi, cum instinctu ad bonum: vel, vt breuius dicamus, Alæ sunt intellectus, & voluntas, Pennæ vero instinctus ad verum, & instinctus ad bonū; Stimuli, & Calcaria sunt desideriū honoris, & præmij: Habenæ vero, & Frena sunt odium vitij, & timor infamiæ, & pœnarum.

Plutar.

Duo vero Equi sunt duo appetitus, rationalis scilicet, & sensitiuus; rationalis est bonus, pulcher, nitidus, amicus, specie rectus, ardua ceruice, honoris cupidus, temperantiæ, & pudoris particeps, nullis stimulis indigens; sed sola ratione regitur: cōcupiscibilis vero, & sensitiuus est malus, turpis, niger, intortus, morosus, contumax, nec nisi verberibus, & stimulis obtemperat; rationalis semper ad bonum, & honestum hortatur, concupiscibilis vero semper ad malum, & ad lasciuiam trahit, semperque inter se pugnant isti duo Equi, & appetitus; Vnde inquit D. Paulus ad Gal. cap. 5. quod spiritus concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritum; & quod propterea ex sententia Plat. in Phædr. durus, & difficilis sit iste ascensus, & cursus ad virtutem, ac *dura, & difficilis sit nostra vectura*.

D. Paul.

Recuperatis igitur alis, & mortificatis sensibus, cæterisque facultatibus animæ benè compositis, anima tādem ad Præsepe, idest in Cœlum reuertitur per rectam

con-

contemplationem,& veram Philoſophiam,vbi Ambrò ſiam,& Nectar bibit,& comedit,ideſt voluptatē & fructum bonarum actionum, in qua voluptate voluptatem conſequitur extremam dulciorem Nectare, & Ambroſia,dum Animæ poſt talem reditum in Cœlum cōceditur contemplari,& cognoſcere Deum, ac in eo cætera omnia diuina,in eoque intuitu,& contemplatione cumulum vniuerſæ voluptatis experitur, perfectèque beatur,& adeò ut præ nimia voluptate, & gaudio inebriari tunc dicatur *Anima*: itaut iure optimo dixerit Plato in 2. de Republica, referendo ſententiam Orphei: *Ebrietatem eſſe præmium vniuerſæ Virtutis*, quatenus poſt reditū in Cœlum per bonas virtutes, & actiones, tantum gaudium experitur Anima, vt neceſſario inebriari dicatur: cui conſonat illud Pſalmographi Pſal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Plat.

Dicit itaque Plato,quod dum Auriga, ideſt mens, in ſpiritoſo curru reſidens, videt per oculos pulchrum, & amabilem vultum,ſtatim excitatur, eleuatur, ac recordari incipit veri pulchri, quod prius erat ſolita intueri, vt ad illud poſſit tandem redire,ex naturali inſtinctu cognoſcendi verum,& fruendi bono, per deſiderium honoris,& timorem infamiæ; per Equum Dextrum,ideſt, per rationem, & intellectum incipit ſe applicare rebus honeſtis,& virtutibus: ſed quia currui eſt etiam adiunctus alter Equus intortus, moroſus, & à virtute alienus, ideſt ſenſus,& libido,ideo dum videt amatum pulchrū, non ſe continet, nec poteſt contineri, ſed ſtatim perturbat

bat Equum dextrum, & illum etiam quærit trahere in Veneris voluptates: Equus tamen rationis statim in se reuersus, se ipsum, & socium etiam quærit reuocare à libidine, & solam virtutem incipit contemplari; & ita Auriga, idest mens, & ratio ad se trahit habenas, vt vterque Equus rectè procedat; sed Equus rationis spontè, Equus vero sensus vi; & solum verberibus coactus obtemperat; quod cum semel, sæpiusq; factum sit, iam ille Equus sensus incipit mansuefieri, condocefieri, & obedire rationi; vt cum postea videt Amatum pulchrum, si non natura, saltem timore continetur, ne in lasciuiam cedat; Vnde fit, vt tandem cum maxima difficultate, sudore, & labore, superatis omnibus voluptatibus libidinis, & vitiorum, anima cum omnibus suis facultatibus iam rectè compositis, virtute mediante, ad veram felicitatem iam perueniat, ibiq; & verum bonum, & verum pulchrum commodè possit contemplari: inquit igitur, *quando Auriga Amatorium aspiciens vultum, totamq; sensu inflammans Animam, titillatione, & desiderij stimulis concitatur; tunc qui Aurigæ obediens est Equorum, vt consueuit, pudore cohibitus, se ipsum continet, ne prosiliat in Amatum: alter neque stimulis, neque verberibus coerceri potest, sed exultat, ac uiolentia ductus, coniunctum sibi Equum, Aurigamq; perturbat, rapitq; ad Veneris uoluptatem:* Et supra; *grauatur enim prauitatis particeps Equus, ad Terram uergens, atque trahens cuicunq; Aurigarum Equus non benè nutritus fuerit:* & infra, *at illi ab initio aduersantur, indignati, quod ad grauia, & iniqua trahantur, tandem id malum cum minime cessit, compulsi feruntur, ceduntque iam, & consentiunt, quod iussi sunt facere;*

hinc igniculo, aspectumq; ipsius corruscum inspiciunt; quem intuitus Auriga, pulchritudinis ipsius naturam memoria repetit, rursusque illam cum temperantia cernit in Casto fundamento firmiter collocatam; videns autem metuit, ac præ reuerentia recidit supinus, vbi simulq; cogitur, vsq; adeo habenas retrahere, vt Equi ambo femoribus, aut natibus humi resideant, sed alter quidem sponte, quia minime reluctatur, procax autem Equus alter prorsus inuitus: & infra, *postquam vero prope accesserunt, inflexus extensa cauda, frenum mordet, & impudentissime rapit; sed Auriga multo magis eadem passus, & quasi a carcere statim humi decumbens, habenas longè vehementius trahit, & dentes Equi flagitiosi deprimit, atque impuram linguam, maxillasq; cruentas, crura, natesq; humi defigit, ac pœnas dare compellit; quod cum sæpe iam prauus Equus ille perpessus est, lasciuire destitit, mansuetus iam Aurigæ obtemperat prouidentiæ; atque etiam cum videt pulchrum, formidine contremiscit, adeout quandoque contingat Amatoris animam iam cum reuerentia quadam, et metu, Adolescentum vestigia sequi*, vt iam superatis difficultatibus, Mens, & Auriga verum possit contemplari, summoq; bono frui, ibi: *cum autem redierit, Auriga ad Præsepe sistens Equos, obijcit illis Ambrosiam, & post ipsam Nectar potandum, atque hæc est Deorum vita*; & infra, *quoquidem nullum præstantius bonum, aut humana temperantia, aut diuinus furor hominibus afferre potest.*

Sed hic mihi insurgit pulchra difficultas. Nam si Anima, dum est in hoc corpore, habet semper propensionem ad suum Astrum, & à sua stella recipit semper influxum, nullum autem est Astrũ, quod magis ad Amo-

rem inclinet, & in Amantes magis influat, quam stella Veneris, quæ propterea fingitur Mater Amoris; igitur esset necesse, oẽs illas Animas, quæ amant, esse ab Astro Veneris, & omnes illos, qui amant, esse genitos, & fabricatos sub aspectu, & influxu stellæ Veneris, quæ similes affectiones influit: hoc autem est impossibile; ergo est ẽt impossibile, omnes Animas, quæ amant, amare propter influxum suæ stellæ. Respondeo tamen, quod vt dictum est, apud Platonẽ datur duplex Venus, & duplex Amor, cœlestis scilicet, & corporalis, cęlestis inclinat ad virtutẽ corporalis vero ad lasciuiam, & Plato in Academia sui Amoris, solum recipit, & laudat Venerem, & Amorem cęlestem; Et quia iste Amor prouenit a recordatione pulchritudinis cœlestium, & vnaquęq; anima in quolibet sit Astro, contemplatur pulchrum, hinc etiam vnaquęq; Anima, etiam præter Animam stellæ Veneris, potest hoc Amore amare, quia vnaquęq; est apta recordari illius antiquę pulchritudinis, & per hanc exteriorem, contemplari pulchritudinem cœlestium.

Plat.

At ex hac solutione pendet alia difficultas: Nã si vnaquęq; Anima, propter species impressas, est apta per hãc pulchritudinem exteriorem, eleuari, & attolli ad diuina, & Anima per hunc Amorẽ præsertim eleuatur, & quælibet Anima quærit, & anhelat ad suum astrum per cõtemplationem, & amorem redire, cur non omnis Anima amat, etiam hoc Amore cœlesti, vt omnis Anima possit eleuari, & propterea etiam perfici per talẽ Amorem? Si enim est verum, quod Anima agat propter influxum suæ stellæ, cum omnis Anima quærat illuc reuer

ti, iam

ti,iam etiam omnis Anima deberet hoc Amore amare, vt per talem amorem facilius posset redire ad cęlestia. Difficultas quidem est grauis,& pulchra.

Sed tñ respõdeo,hoc euenire pluribus de causis: primò a natura stellæ, quia non omnes stellæ sunt eodem modo affectæ,sed alia alia perfectior,& varios, & quandoq; etiam contrarios habent influxus: & ideo non omnis Anima amat,quia non omnis anima habet eundem influxum. Secundo ratione corporis Amantis; Nam sicut illa stella influit præsertim in materiam, & temperamẽtum,& ista materia,& temperies sit diuersa in diuersis, ideo ob diuersam dispositionem materiæ, stella non potest in omnia corpora eodem modo influere, & ideo vnus amat,& eleuatur,quia est benè naturaliter disposit⁹, & alius nõ amat, vel si amat,diuerso modo,& sine amat, quia est diuersimodè dispositus. Tertio hoc etiam euenit propter diuersam dispositionem corporis amati;quia si Anima eleuatur,eleuatur propter pulchritudinem Amati,& eius aptitudinem ad virtutem; sed quia non omnes sunt eodem modo pulchri,nec eodem modo ad virtutem apti, sed vnus alio pulchrior,& vnus alio ad virtutem aptior, ideo etiam quandoque Anima etiam benè disposita,non amat ob defectum rei amabilis, quia non omnes sunt eodem modo amabiles. Vnde Plutarc. in Amat.inquit, quod sicut Apis per multa viridia, & florentia transiens,non omnes tamen flores sugit,quia nõ omnes flores sunt apti ad mellis generationem: sic Anima quandoq; non amat,quia non reperit Amatũ amabilem,& qui sit dignus,& aptus amari: ibi, *Apis in morẽ,* Plutar.

quæ multa viridia, & florentia præterit, quia his nihil mellis insit; vbi vero vestigium aliquod diuinitatis, defluxumque, & similitudinem ablandientem nacti sunt, iam præ voluptate, & admiratione extra se rapti, eam adsectantur, suntque amicissimè affecti aduersus illud verè ab omnibus amabile, beatum, diligendumq́.

Quarto hoc etiam euenit propter aliam causam; Ná, vt ait Procul. in rebus Platonis versatissimus in lib. de Procul. Anim. & Dęmo. *Animæ nostræ hic peruagantur circa imagines eorum, quæ in prima viderant; & ad eas imagines magis afficiuntur, quorum illic attentius contemplatæ fuerant. Aliæ namque Animæ alijs sunt accommodatæ spectaculis. Ideo aliæ alijs imaginibus incumbunt: eorum enim, quæ illic inspexerant, similitudines amant.*

Quæcunque vero magni Iouis insuper pedissequæ fuerũt, vnaq; cum illo circumiuere, ordinem habente ducalem, inter duodecim Principes Vniuersi, hæ profectò secundum speciẽ sui Dei, etiam huc profectæ, imperiosam vitæ speciem appetũt; & quod re vera Imperiale est, ignorant, apparentem vero Principatum inter imagines prosequuntur. Quæ enim attentius in Patria videras, eorum imagines hic ante alia sequeris; Ideo enim non omnes Animæ hoc Amore amant, quia non omnes, dum erant in Cœlis, rebus amatorijs incumbebant; & illam propensionem, & inclinationẽ, quam habebant, antequam descenderent, retinent etiã, & seruant postquam descenderunt: omnes quidem conantur redire in Patriam, sed medijs diuersis: alia enim per res amatorias, quia prius rebus amatorijs delectabatur, & alia per Imperium, & dominium, imperando, &

domi-

dominando, quia prius iſtis rebus lætabatur, & quibus vnaquæque prius lętabatur, per eaſdem etiam maxime eleuatur; bene verum eſt, *A*morem eſſe communiorem, & frequentiorem, & nobiliorem modum, quo poſſit eleuari; ſed tamen non omnes *A*more lętantur, & ideo nec etiam omnes *A*more leuātur, ſed vnus vna, & alius via, iuxta propriam inclinationem, & iuxta quod trahit ſua quemque voluptas.

Pro complemento tamen huius peregrinationis, & huius per *A*morem aſcenſus, ſupereſt conſiderandum, quomodo procedat illud, quod inquiunt multi ex ſentētia Platonis, nos fore denuo, poſt illam, quā Plat. in Phædo. ſæpè appellat, & probat reuiuiſcentiam, eadem ſpecie Amoris amaturos illos, quos nunc amamus: quorum ratio, ni fallor, & quidem multum probabilis, poteſt eſſe iſta; quia ſicut omnes dicunt, Platonem exiſtimaſſe, poſt annum magnum, & poſt perfectam illam omnium Orbium reuolutionem in idem punctam, & eandem omnino conſtitutionem, omnia fore reditura in eandem formam, & locum, adeo ut ipſe putauerit, dicunt ipſi, ſe poſt illā reuolutionem, denuo eiſdem ſcolaribus in eodē loco, eodem tempore, eademque fore dictaturum, & lecturum: ita etiam non erit ab eius Philoſophia alienum, ſi dicamus, eum exiſtimaſſe, ſe illos, quos aliquando amabat, fore denuo eadem ſpecie Amoris amaturum; omnes quidem hoc Platoni tribuunt; pauci tamen ſunt illi, qui noſcant fundamentum illius; ſolus Plutarc. meo iudicio hoc optimè declarat, in lib. de fato paulo poſt principiū. Nam Cœlum eſt cauſa eorum, quæ fiunt, in his inferioribus:

Plat.

Plutar.

ribus; & adeo conseruat, & suo, vt ita dicam, modo regit omnia, vt quemadmodum se habet Cœlum, ita etiam se habeant cætera omnia; Cum Cœlum mouetur, mouentur cætera, Cunctaque manent, cum Cęlum firmatur, vt propterea omnia alia à Cœlo videantur, vt ita dicam, habere, non solum esse, sed etiam benè esse: Vnde

Arist. Aristot. in primo Meteo. capitu. 2. inquit omnem virtutem huius mundi inferioris a superioribus lationibus regi, ac gubernari; Igitur cum Cęlum eodem modo se habebit, sicut modo se habet; cuncta etiam alia eodē modo se habebunt, sicut modo se habent: Sed Cœlum est denuo rediturum ad idem punctum, & eandem omnino constitutionem, vt concedunt communiter omnes Astrologi, & putant Platonici futurum esse post suum annum magnum, & tunc eodem modo se habebit, sicut modo se habet; igitur etiam cuncta alia eodem modo se habebunt, sicut modo se habent: Cum enim eadem causa redierit ad eandem omnino constitutionem, punctum, & principium, eosdem etiam debebit producere effectus, quos modo producit: Et cum Cœlum sit causa non solum efficiens, sed etiam disponens, ac semper disponat, & agat; igitur, cum eodem modo se habebit, cuncta etiam alia eodem modo se habebunt: sed Cœlum denuo se habebit, sicut modo se habet; igitur sicut nunc ego hæc scribo, & tu legis, ita etiam post annum magnum, eadem ego hæc scribam, & tu leges: igitur etiam sicut nunc ego amo talem propter talem causam, eundem etiam amabo propter eandem causam.

Piccol. tamen in libr. de commun. affect. capitu. 18. putat hanc opinionem, quam nos in via saltem Platonis tenemus esse verissimam, esse falsam, & impossibilem; quia Cœlum, vt ipse dicit, est solum causa communis, & vniuersalis, vt autem ijdem omnino affectus denuo fiant, non est satis causa communis, sed est etiam necessaria causa particularis, sicut dicit Aristot. 2. Phys. text. 26. quod sol, & homo generant hominem, sol vt causa vniuersalis, & homo tanquam particularis: Causa autem particularis huius particularis effectus, qui est nunc, non poterit esse eadem post istam omnium Orbium reuolutionem, quia erit iam corrupta, & quod per Naturam est iam corruptum, non potest per Naturam denuo idem numero esse: ergò nec etiam poterunt denuo fieri ijdem omnino effectus, contra iam assertam opinionem Platonicorum. Difficultas quidem est grauis, & si admittatur, magna pars certè philosophiæ Platonis destruitur, propterea nitendum pro viribus saluare Platonem. Piccol.

Aristot. in primo Nicom. capitulo sexto, idcirco *arduam sibi putat futuram esse quæstionem, confutare Ideas Platonis*, eo quod esset *Amicus* Plato: ita mihi quoque maius redditur negotium confutare nunc istam opinionem Piccol. propterea quod & Amicus est, & eum plurimi facio, & versatissimus est in Academia Platonis. *Attamen quia pro veritatis salute debet vnusquisq;, sed præsertim Philosophi*, inquit ibid. *Arist. non solum aliorum, sed etiam propria refutare opiniones, & licet ambo Amici sint, sanctũ est tñ, veritatem ipsis in honore anteponere,* Arist. Plat.

vnde

vnde Amicus Plato, sed magis Amica veritas, propterea pareat nunc Piccol. si ab eius opinione recedo, nam mihi magis Amicus Plato, & magis Amica veritas.

Dico igitur, saluo tamen semper meliori iudicio, solutionem Piccol. esse fortè veram secundum principia Peripateticorum, sed non secũdum principia Platonis. Nã Plato istas causas particulares non multi æstimat, & plus semper tribuit Cœlo, Ideis, & causis communibus, quã istis causis particularibus: Immo istas singulares causas non putat verè causas, sed solum vmbras, & vestigia causarum vniuersalium, quia per eum, prima initia, & primæ causæ rerum mortalium debent esse æterna, causæ autem particulares non possunt esse æternæ, propterea etiam effectus magis pẽdent ex vniuersalibus, quam ex

Theupol singularibus causis, vt docet Theupol. lib. 3. Academ. contempl. cap. 20. vnde ista instantia de causis singularibus nihil facit contra Platonicos. Vel secundo, & fortè etiam melius respondeo, quod ex sententia Platonicorũ falsa est propositio Piccol. quod scilicet particularis causa huius effectus non possit denuo esse post annum Magnum, quia ex eorum sententia, cum istis causis communibus, & cum ista vniuersali Cœli reuolutione, necessario etiam redire debebunt singulorum quoque particulares causæ: Nam vt dicit Plutarc. in d. lib. de fato paulo

Plut. post principium, *ea est rerum necessitas, vt illum* scilicet habitum Cęli, ac Cęli vniuersalem reuolutionem, *omnes deinceps suo ordine causæ comitentur*. si omnes suo ordine causæ comitari debebunt hunc habitum Cęli; ergo etiã comitabuntur particulares causæ: ergo etiam redire poterunt

terunt omnes ijdem effectus, nec erit hoc impossibile, prout putat Piccol.

Hic autem rogo, vt obiter saltem animaduertas, hãc communem Cœli reuolutionem non debere fieri, nisi post suum illum annum Magnum, quem excogitarunt Platonici. Quanto autem annorum spatio, & quanto tẽporis interuallo conficiatur iste annus Magnus, variæ sunt opiniones, nec tibi aliq̃d certi tradere possim: Quot autem, & quales circa hoc sint aliorum sententiæ, locupletissimus testis mihi est Gregorius Giraldus in suo lib. de Annis, & Mensibus paulo post principium, his verbis; *Hunc annum Aristarchus putauit esse Annorũ 2484. Aretes Dyrachinus Annorum 5552. Herodotus, et Linus Annorum 10800. Dyon 13984. Orpheus 120. Cassandrus tricies sexies centum millia: noster Cicero, Annorum 12953. Iosephus hebræus Antiq. lib. 1. Annorum 600. Iulius, qui & Firmicus vilius, Annorum 1460. & unius Anni circuitu terminauit. Sunt qui cum Phenicis Auis vita, eius anni conuersionem fieri scribant: Alij infinitum esse, nec in se reuerti vnquam putauerunt: Alij longè minori spatio Magnũ hunc annum mensi sunt, quippe qui ex duobus annis vertentibus, illum constituerint: Alij trium, Alij quinque, Alij plurium*, vt ibi per eum latius. Girald.

Et Piccol. quoque in d. lib. de commun. affect. ca. 17. tom. 1. *De longitudine, & mensura anni Magni, opiniones sunt variæ: ex opinione autem Astronomorum, qui putarunt octauam sphæram reuolui tempore 49. millium annorum Solis, annus Magnus est illa periodus 49. millium annorum: Qui vero putarunt octauam sphæram singulis centum annis* Piccol.

decurrere gradum vnum, inquiunt annum Magnũ esse 36. millium annorum. Macrob. in lib. de Somn. Scipion. inquit: *Annus Magnus, qui mundanus vocatur, seu vertens, ex Physicorum sententia est 15. millium annorum: Francisc. Catancus Diacetius vnam scribit epistolam, in qua nititur ostendere annum Magnum ex sententia Platonis esse 12. millium annorum. Marsil. Ficin. in sua Platonica Theologia lib. 4. cap. 2. ait; Zoroaster ijsdem aliquando causis omnino redeuntibus, eosdem similiter effectus reuerti putat, qua ratione tam ipse, quam alij multi successores eius, humanorum corporum resurrectionem confirmarunt. Circuitus autem vniuersi interuallum annis solaribus 36. millibus expleri voluere Platonici, quem Magnum, et Mundanum appellãt annum: huius finem Mercurius, anni senium appellat, Plato vero in lib. de Regno, Mundi restitutionem. Idem Ficin. in 10. de Republ. Plat. distinguit annum Magnum Mundi, ab anno Magno animarum, inquiens, annum Magnum animarum ex sententia Platonis esse 12. millium annorum Solis, ex tribus autem huiusmodi annis confici annum Magnum Mundi, quo Mundi Anima motu firmamenti suum absoluit ambitum.* Plutarc. quoq; de placit. Philosoph. lib. 12. in vltimis verbis: *Magnum annum alij octennio definiunt, alij 19. annis, alij 59. Heracletus annorum solarium millibus octodecim: Diogenes 365. annis, tantis, quantus vnus est Heracleto, alij 7777.* hæ sunt de re ardua, & incerta, certæ quorundam opiniones, ac sententiæ.

Ex quibus colligi potest, Platonem existimasse animas nostras esse immortales, & ab omni corruptione alienas; si enim denuo ego sum facturus, quæ nunc facio, neces-

necessario, debet esse immortalis; & quia ista Philosophia Plat. de Animæ immortalitate, etiam secundũ principia illius, patitur graues difficultates, & est etiam curiosa, idcirco ne graueris, si aliquantisper plus æquo in Accademia morabor.

Plures igitur rationes adducit Plato ad probandũ animum esse immortalem, sed præsertim duas, vnam in Phædro, alteram verò in Phædo. in quibus tota, ut dicũt, medulla continetur: Dicit itaque in Phædr. omne quod se ipsum mouet est æternum: Anima se ipsam mouet; ergo est æterna. Maior probatur; Nam quod potest mouere seipsum, vt se ipsum conseruet, semper se ipsum mouebit, nũquam se ipsum deseret; & cum sit principium sui, & motus aliorũ, nec possit impediri, quominus moueat, in æternum mouebit; Tum quia principium caret omni principio, & fine, aliàs nõ esset principium; Tum quia non potest afferri ratio, cur nunc potius, quam alio tempore desinat mouere se ipsum; ergo erit æternum, & semper se ipsum pro viribus mouebit: At Anima est numerus se ipsum mouens, & est principium sui motus, & etiam motus aliorum, quia ea sola se ipsa mouent, quæ sunt animata, inanimata autem se ipsa mouere non possunt, sed solum mouentur: ergo Anima est immortalis, & æterna: Vnde habemus ex Arist. in 8. Physic. nihil agere in se ipsum, nisi in eo detur distinctio agentis, & patientis, vt in Animalibus contingit; & hanc solam rationem considerant Cicer. in Somn. Scipion. in fin. & Macrob. in expositione eiusdẽ lib. 2. c. 13. & seq. vbi ẽt conatur eam defendere ab impugnationibus Peripateticorũ. *Arist.* *Cicer.* *Macrob*

In Phędo autem ita argumentatur; Vnum contrariũ quatenus tale, nunquam potest fieri, & euadere suum contrarium: ignis enim nunquam erit frigidus, nix nunquam calida, & par nunquam erit impar; sed anima est ipsa vita, & vbicunque sit, ibi solum, & semper affert vitam, vnde solum animatum dicitur viuens, vitæ autem est contraria mors; ergo Anima tãquam principium vitæ, nunquam erit capax mortis; ergo semper immortalis, & æterna. Istæ sunt principaliores rationes, quibus Plato conatur probare animã esse immortalem; in quibus tamen ego talem, ac tantam reperio difficultatem, vt adhuc ignorem, an in Philosophia Platonis detur vlla maior difficultas.

Nã, si non fallor, omnes possunt retorqueri, vt ita probẽt de Anima Brutorum, sicut de Anima hominis; quia ita Anima Brutorum mouet se ipsam, & est principiũ & motus, & vitę, & ita est contraria morti, sicut est Anima hominis; ergo per istas rationes, ita erit immortalis Anima Brutorum, sicut Anima hominis, contra eumdẽmet Platonem, qui in plurimis locis expresse tenet, Animas Brutorum esse mortales, & corruptibiles.

Theup. Piccol. Theupol. lib. 4. Academ. contempl. cap. 10. & Piccol. in 1. lib. de mente hum. c. 9. conantur saluare Platonẽ, qđ quando ipse loquitur de Anima absolutè, semper intelligit de Anima hominis, quia Animas Brutorum non putat Animas verè, & propriè, sed vmbras solum, & vestigia Animæ rationalis; & ideo Plato de istis non intẽdit; & quamuis etiam istæ sint ita principium vitę, & motus sicut Anima hominis, ex hoc tamen non sequitur eas es-

se immortales, quia hoc eis non competit ex virtute propria; & proprio iure; sed solum iure, & virtute Animæ rationalis, cuius ipsæ sunt vmbræ, & vestigia; & dato, quod aliquo modo possent dici immortales, solummodo tales dici possent, ratione sui principij, & suæ originis, idest solo respectu animæ rationalis, cuius sunt vmbræ: & propterea rationes Platonis non probant de Anima Brutorum, quia hanc non putat Animam, sed vmbram solum Animæ, & Plato de humana solum loquitur, & rationali; Vnde Arist. in primo de Anima, tex. 7. carpit Platonem, quod loquendo de Anima, de humana solum intellexerit. Arist.

Quę solutiones licet sint grauissimorum Virorũ, & in rebus Platonis maximè versatorum, mihi tamẽ non satisfaciunt; nec tollunt difficultatem; Nam istæ Animæ etiam quatenus vmbræ, & vestigia, sunt ita principium vitæ, & motus in Brutis, sicut Anima hominis in homine: ergo etiam ipsæ sunt immortales. Præterea, si istæ Animæ non se mouent, nec sunt propria virtute principium vitæ, & motus, sed solum virtute animæ rationalis, cum ista per eos sit æterna, & semper se moueat: ergo etiam semper mouebit, & præstabit principium vitæ, & motus istis animabus: ergo semper se ipsas mouere poterunt, & semper viuere: ergo semper erunt æternæ; sicut æterna est Anima hominis.

Valeant ergo istæ rationes, & solutiones, vt valere possunt, & omni meliori modo; Ego .n. puto, nec rationes probare, solam Aĩam hominis esse immortalẽ, nec solutiones allatas tollere difficultatem, sed concludere etiam

pro

pro Anima Brutorum, vt tandem veritate coactus, animaduertit etiam ipse Piccol. loc. cit. in fin. & clarè patebit diligentius consideranti; sed transeamus ad alia.

Picol.

Amplius cōsidero quomodo procedat illud, quod inquit Plat. huic ascensui assistere tria numina, Mercuriũ scilicet, Venerem, & Phębũ: cuius ratio esse potest, quia dum Anima eleuatur, eleuatur propter pulchritudinem externam Amati; pulchritudo autẽ est triplex, animorum, corporis, & vocis, & tribus modis percipi potest, p mentem, visum, & auditum; per mentem cognoscitur pulchritudo animi, per visum pulchritudo corporis, & per auditum pulchritudo vocis, vt etiam diximus supra cap. 3. & 10. ex Marsil. in Hipp. in Phædr. in princ. & in Conuiu. orat. 1. cap. 5. vbi definit pulchritudinem, quod sit quædam gratiã, quæ Animam per mentem, visum, & auditum mouet, & allicit: dum igitur Anima eleuatur, quia sola mẽte, & sola contemplatione considerat illam pulchritudinem Animorum, tunc huiusmodi ascensui dicitur præesse Mercurius, quia Mercurius maximè cõtemplationi pręest. Vnde inquit Athen. libr. 1. nume. 8. *Mercurio namque sacræ linguæ sunt ob eloquentiam, & orationis perspicacitatem.* Si vero eleuatur, quia oculis corporis, & visu considerat illam pulchritudinẽ corporis, tunc tali ascensui dicitur præesse Venus, quia Venus est Dea pulchritudinis corporalis, illiq; maximè præest: Si autẽ eleuatur, quia per consonantiam vocis Amati, Amans percipit illius pulchritudinem, tunc tali eleuationi dicitur præesse Phębus, quia Phębus est Deus Musicæ, & Cõsonantiæ præest.

Marsil.

Athen.

Vi-

Videda est præterea ratio, cur Plato, prout ex Illius sen tentia referunt Theupol. loc. cit. cap. 12. & Piccol. d. cap. 21. dixerit, Animas, dum ab Astro in corpus descendũt, descendere per Cancrum; dum vero a corpore ad Astrũ redeunt, ascendere per Capricornum, sicut diximus supra ex mente Vincent. Chartar. quosdam putasse in Cęlo duas esse portas, per quarum vnam Animi è superioribus ad inferiora descenderent; per alteram è contra ab his ad illa conscenderent; hanc Deorum, illam hominũ esse; Quarum claues penes Amorẽ esse volebat Orpheus eo quia sine Amore nemini daretur ex vno in alterũ locum transitus. Si vellemus iocari, possemus dicere, quod Amor, dum incipit, quia eo statim frui non valemus, incipiat à Cancro, idest à blasphemia, à maledictionibus, & periurijs; sed dum ascendit, idest in fine, desinat in Capricornum, quia per Amorem multi amando, & amata fruendo, cornua faciunt, vt dicitur, Riuali, vel Marito, & vt inquit Ouid. in 1. Amor. eleg. 10. *tunc pauper cornua sumpsit, fed hugis dimissis.* Theup. Picc. l. Ouid.

Theupol. ibidem breuiter duas rationes affert; primã, quia Cancer dicitur domicilium lunæ, & luna generationi præest; & quia Animæ, dum descendunt, descendũt ad informanda ista corpora mortalia, ideo rationabiliter per Cancrum dicuntur descendere, quatenus per Lunam in generationes descendunt animalium; ascendunt autem per Capricornum, quia Animæ per hunc Amorem eleuantur ad contemplationem pulchri, & Capricornus ęst domicilium Saturni, qui contemplationi pręest; ideo rationabiliter per Capricornum ascendere dicuntur. Theup.

cuntur. Secundam, quia Cancer suo retrogrado gradu dicitur recedere à perfectione, ita Anima, quia dum descendit, dicitur à re perfecta in rem minus perfectá descendere, ideo rationabiliter dicitur descendere per Cãcrum, quia motum, & cursum Cancri imitari videtur; sed quia dum ascẽdit, dicitur ascendere per eleuationem ad virtutem, Capricornus autem est talis naturæ, vt cornibus semper alta petat; ideo Anima dicitur ascendere per Capricornum, quatenus per talem Amorem, eleuatur, & attollitur ad diuina, & Cœlestia. Ideo dixit Plat. in lib. de Regno, prout refert, & declarat Marsil. in fine illius Dialogi, & Theupol. loc. cit. cap. 6. in fine, *Homines nasci senes, & mori Iuuenes*; Senectus enim iuuentuti comparata dicitur imperfecta; sed quia dũ Anima ab Astro descendit in corpus, à perfectione recedit, & suas vires amittit, ideo tanquam senex, dicitur descendere imperfecta, debilis, & sine viribus; & quia dum Anima descẽdit, tunc nascitur homo, ideo cum Anima dicatur descẽdere senex, etiam homo dicitur nasci senex; sed dum postea ascendit, quia ab imperfectione tendit ad perfectionem, & paulatim vires proprias per contemplationem recuperat, itaut semper magis florescere videatur, idcirco tanquam iuuenis dicitur mori, quatenus tanquã iuuenis, & florida, & vigorosa nõ solum nobis, sed etiam omnibus cœlestibus apparet: hinc dicit Plutarc. de liber. educandis, quod *sola mens senescens iuuenescit*.

Plat. Marsil. Theup.

Plutar.

O ergo felicissimos Amãtes, ò Amorem beatificum, ò Amatos dulcissimos, ò Philosophiam, ò cõtemplationem: cum per talem Amorem, Amantes Amatos contemplan-

templantes, ad veram fœlicitatem, ac beatitudinem eleuentur; quæ omnia iam breuioribus complexus fuerat idem Pater Amoris Plat. in Sympos. in Orat. Socrat. dicens: *Quando verò ab his aliquis, rectè Pueros amando, ascendens, illud ipsum pulchrum contueri incipit, fermè iam finem attingit: hoc est profectò ad Amatoria rectè pergere, vel ab alio duci, quando videlicet quis ab his pulchris, gratia pulchri illius ascendere incipit, quasi quibusdam gradibus vtens, atque ab vno primum in duo transiens, & à duobus in omnia, quæ pulchra sunt corpora, ab his in omnia officia pulchra, à pulchris officijs ad doctrinas pulchras conuersus, à doctrinis denique pulchris, in illam doctrinam perueniens, quæ non alterius est, quam illius ipsius pulchri doctrina, atque ita demum quid ipsum sit pulchrum contemplatur:* & infra. *Quam fœlix illud speculum fore putamus, si cui contigerit, vt ipsum pulchrum intueatur, sincerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, coloribus, non alijs mortalibus nugis contaminatum, sed ipsum secundum se pulchrum diuinum inspiciat: Num vitam huiusmodi paruifacias, hominis videlicet ipsius, qui illuc suspicit, qui tam præclarum speculum contuetur, qui illi cohæret? non ne cogitas, quod tibi solum cernes, ille eo oculo pulchrum, quo percipi potest, non imagines virtutis vlterius, sed virtutes ipsas pariet? quippe cum non simulacrum, sed rem ipsam attingat, cumque virtutem ueram pariat, atque alat, Deo Amicus efficietur, & si quis alius hominum, is maximè immortalis existet.* Plat.

Hæc est sententia, & Philosophia Platonis de Amore Platonis; quo si nos vteremur eo ipso fine, quo nos ipse docet, & instruit, ò nos fœlices, ò fœlices Amantes, ò fœlices Amatos, ò terque quaterque beatos, quia per talem Amo-

rem eleuaremur, vitia omnia vitaremus, & omnes deniq; virtutes pro viribus sequi conaremur: Vnde Marsil. Ficin. qui optimè cognoscebat intentionem, & mysteria Plat. circa talem Amorem, in Phędr. & in Charmid. dicit, quod si diligenter aduertas omnia, quæ dicta sunt, & inuenta a Platone circa generationem, & finem huius Amoris, sunt maximè conformia ijs, quæ dicit Salomon in Canticis Canticorum de illo diuino, & mysterioso Amore sponsi, & sponsæ, istas, & similes omnes alias allegorias, & Moralitates circa Philosophiam Platonis optimè, & elegantissimè explicat Ficin. suo more elegantissimus in sua Theologia, & alibi sæpè, ibi videas, si cupis; quia pro nunc ad nos nō spectat iste labor.

Marsil.

Sciò quòd alia multa, & multæ aliæ difficultates potuissent excitari circa huiusmodi Philosophiam de hoc Amore Plat. etiam secundum principia illius, sed quia pro nunc non intendo totam Philosophiam Plat. discutere, nec sum in Academia, nec scribo ad Principem rerum Platonicarū omninò ignarum, ideò ista omnia libenter omitto: dabitur enim fortè nobis aliàs opportunior occasio, in qua opportunius Platonicas poterimus excitare difficultates, & fortè etiam insolubiles.

Interim Platoni, & omnibus Platonicis profundè humilior, vobisque, qui hunc incōcinnum discursum, verbaque inconcinnissima, vel audire, vel legere dignati fuistis, gratias immortales ago, veniamque humiliter peto, si fui prolixior: & si rudior, veniam detis; Nam vt inquit Flac. de Arte Poetica.

Horat.

Sunt

Sunt quæ delicta tamen, quibus ignouisse velimus,
Nã neque chorda sonum reddit, quem vult manus, & mẽs,
Poscentique graue, persæpè remittit acutum.
Nec semper feriet, quodcunque minabitur Arcus:
Aut humana parum cauit natura; quid ergo,
Vt scriptor si peccat, idem librarius vsque
Quamuis est monitus, venia caret? & Citharœdus
Ridetur chorda, qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Cherilus ille,
Quem bis, terque bonam, cum risu miror, & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

FINIS.



INDEX RERVM MAGIS NOTATV DIGNARVM.

A

amor

Con-

Obiecta

P

INDEX.

solum

Rei

Tro-

INDEX.

Laus Deo, Deiparæq; semper Virg. Mariæ.

pag.	lin.	Errata.	Corrige.
1	16	Amoris	Amores
8	16	quatis	quatit
14	26	Metaph.	Metamorph.
17	4	propoſideq;	proboſideq;
21	16	profecta	perfecta
	17	atq;	at quæ
31	5	intentione	intenſione ;
34	2	Caton. Cen.	Caton.Sen.
36	5	reſpicit	reſpuit
	15	in quo	à quo
43	15	quis tñ	quiſquis tamen
45	9	quondam	quandam
	10	ſuper lib.4.	ſup.lib.4.
58	21	videret	videretur
60	7	de dubl.	de dupl.
62	12	Xenophon.	ex Xenophon.
66	26	eam re	ea re
67	7	reuiuiſcunt · incaleſcunt	reuiuiſcunt,reuiuiſcunt incaleſcunt
68	23	dele incitamentum	
73	16	tradere	tradidere
74	10	electis	electri
79	9	deſunt hæc verba	ſi ſola pulchritudo eſt maximè oĩum amabilis
90	20	reſpicit	reſpuit
93	26	ictum	icturo
	27	& legi	& legimus
94	21	Amantium	Amaſium
76	19	præfactos	præfractos
97	17	Euripid.	ex Euripid.
124	17	ſentus	ſenſus
125	15	coram	comam
	21	mirarſi qui	miraſi qui
127	24	ab ea	ab eo
131	17	conſiat	conſtant
132	14	turpiter	Iupiter
142	2	rationes	ratione
	8	debilior	nobilior
143	2	expeſsiſimè	expresſsiſimè
146	3	præ'ert	prælefert
159	1	metaphyſico	metaphorico
160	13	pareatque	parcatque
161	28	diſcernis	diſcerni
164	27	mitandum	mirandum
165	30	redictis	relictis
167	1	mores	Amores
169	15	tempore	tempore
173	12	& tunc	& ſi tunc
	16	proportionẽ	propenſionem
	18	in ſuis	deſtitura ſuis
	26	eum	cum
174	22	præter	propter
175	12	corporis	corpori
177	22	perſpicui	perſpicuè
	26	ponunt	ponant
178	28	concepere	concipere
181	22	quo	quæ
	28	terrenarum	terrenorum
182	5	ſine quo deſcendere	ſine quo nec deſcenderet
183	22	quæq; tñ ſit eſſe ſimilẽ	quæq; tñ ſit vel Amoris,vel corporis, ſtatim exiſtimat iſtã pulchritudinem
	11	Platonica	Platonici
184	16	intuetem	intuentem
191	1	hic igniculo	hinc hæret igniculo
194	19	qua enim	quæ enim
196	6	alius via	alius alia via
	18	punctam	punctum
197	5	affectus	ellectus
198	7	multi æſtimat	multum eſtimat
199	8	posſim	poſſum
203	14	taman	tamen
207	14	ſpeculum	ſpectaculum
	19	ſpeculum	ſpectaculum
	20	tibi ſolum cernes	ſibi ſolum cernens
208	1	per talẽ amorem eleuemur	per talem Amorem ad uerum Amorem eleuaremur
209	1	ſunt quæ delicta	ſunt delicta
	10	bonam	bonum

Cætera Lectori diſcreto remitto.

